De Baetyliis

Dissertatio inauguralis
quam consensu et auctoritate
amplissimi philosophorum ordinis
in Alma litterarum universitate
Fridericae Guilelmae
ad summos in philosophia honores
rite capessendos

Die 14. M. Augusti A. 1854
H. L. Q. S. publice defendet
Auctor

Ludovicus Boesigk
Dresdensis

Adversarii erunt:

F. Schultz, Phil. Dr.
C. Euler, Phil. Dr.
A. Walter, Phil. Dr.

Berolini. 1854
Typis Gustavi Schade
Solar Anamnesis Edition

CC0 1.0 Universell

Augusto Boeckh
viro Illustrissimo et Magistro Carissimo.

Hasce studiorum primitias sacras esse pio gratoque animo

voluit

auctor.

Quaecunque in scriptis quum veterum tum hodiernorum auctorum antiquitatis studii peritorum de baetyliis dispersim nobis tradebantur, tantum aberat ut prodessent ad explicandam lapidum illorum naturam, cultumque eorum describendum, ut de eorum nomine, ejusque origine ac notione hominum eruditorum sententiae etiamnunc in contrarias partes discederent. Exstiterunt ut antiquis ita nostris quoque temporibus, qui huic argumento lucis aliquid afferre studerent: quos, quamquam sexcentas res ad historiam, mythologiam, ad studium antiquitatis nec non linguarum et orientalium et occidentalium, vel ad historiam naturalem pertinentes attulerunt, ne nomen quidem baetyliorum satis explicasse existimo; quod unde sit ortum, quidve significet secundum locos a veteribus scriptoribus et sacris et profanis de ea re nobis traditos, jam paucis verbis exponere conabor.

Saxa quaedam ab omnibus fere populis antiquis divino honore culta, ac plerumque pro numinibus ipsis, certe pro simulacris deorum habita, graeco nomine βαίτυλοι sive βαιτύλια, latine quidem baetylia sive betuli dicebantur, cf. Plin. hist. nat. 37. 9, 51. In fragmentis Sanchuniathonis rerum Phoeniciarum scriptoris, per Philonem Byblium graece versis, apud Eusebium in praeparationis evangelicae lib. 1. 10. exstantibus nomen paullum aliter scriptum commemoratur, de quo v. infra. Ibidem unum quatuor filiorum, quos Uranus cum Gaea genuit, Βαίθυλον vocatum esse, dicit Sanchuniathon. Tum pergit auctor noster, deum Uranum βαιθύλια, sive lapides animatos creavisse, — ἐπενόῃσε θεὸς Οὐρανὸς βαιθύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος. — Bochartus, Phaleg et Canaan lib. 2. cap. 2. p. m. 707 notionem graecam λίθους ἐμψύχους male conversam ex lingua hebraica habere voluit, interpretem in verbis Phoenicii scriptoris ipsis אבנים נפשׁים abanim nepheschim, pro אבנים נשפים abanim neschephim legisse arbitratus: quem qui sequitur, lapides unctos pro lapidibus animatis assumere debebit; cf. des Brosses, du culte des dieux fétiches, p. 106. „Ouranos trouva les Baityles et a fabriqué les pierres animées ou plutôt selon la juste correction de Bochart, les pierres graissées.“ — Quae viri eruditissimi sententia, quamquam loco quem mox commemorabimus, Genes. 28. 13. confirmari videtur, tamen inter judices lis est. De baetyliis Hesychius ad h. v. refert, βαίτυλον illum lapidem esse, quem Rhea pelle caprina redimitum obvolutumque et lacte oblitum Saturno marito suo loco Jovis recentis a partu in Thaumasio monte Arcadiae devorandum dedisset — οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ ἀντὶ Διός. — Etymolog. Magn. — βαίτυλος ἐκλῆθη ὁ λίθος, ὃν ἀντὶ Διὸς ὁ Κρόνος κατέπιεν · εἴρηται δὲ, ὅτι ἡ Ῥέα βαίτῃ αἰγὸς σπαργανώσασα τῷ Κρόνῳ δέδωκεν. — Priscian. lib. 1. Abdir genus lapidis. lib. 5. Abdir deus est: dicitur et hoc nomine lapis, quem Saturnus dicitur devorasse pro Jove, quem Graeci βαίτυλον vocant. — Secundum hanc fabulam, de qua v. Stephan. Byzantin. a. v. Θαυμάσιον. Apollodor. 1. 1, 5. Hygien. astron. 2. 43. Hesiod. theog. v. 467. seqq. Ovid. fast. 4. 205. mythographi βαιτύλου nomen satis explicari per βαίτην, pellem caprinam, putaverunt. Maxima fuit inter homines eruditos controversia, utrum nomen illius lapidis derivandum sit a graeca voce

βαίτη, uti mythographi contendunt, an ab antiquissimo originis vestigio, quod invenire posse videtur in loco jam supra citato, Genes. 28. 18, 19. ubi Jacobus postero mane post notissimum illud somnium, quo angelos de coelo ad terram in scala descendentes conspexerat, lapidem, quo dormiens cervicali usus erat, statuisse narretur, quem בית־אל beth-el, h. e. domum dei vocavit. Ex illo beth-el ortum esse nomen lapidum sanctorum, quibusnam argumentis hoc defendi possit, quaerendum est. Firmissimum hoc afferri posse videtur, quod non paucas voces, maxime nomina propria graeca, ex linguis quae dicuntur Semiticis, inprimis ex lingua hebraica sumta esse, multis exemplis demonstratur. Attamen viros doctos, qui in enodandis nominibus laborarent, saepius in vocabulorum caussis explicandis modum excessisse, negari non potest. Quanta est pugna doctissimorum hominum de etymologices finibus! In quam egregium illud Horatianum cadit: — Iliacos intra muros peccatur et extra. — Si respicimus, fabulam illam de lapide, quem Rhea Saturno pro Jove deglutiendum daret, cujus supra mentionem fecimus, post eventum quasi eoque studio fictam esse posse, ut per eam etymologia baetyliorum a βαίτῃ explicaretur et verisimilis fieret, facere non possumus, quin alteram opinionem, quae baetyliorum nomen ex lingua hebraica a voce בית־אל derivare studet, sequamur, quippe quae multis iisque haud levibus exemplis sublevatur atque augetur. Quis affinitatem vocis hebraicae cum graeca non videt? Nihil ibi praeter flexionem immutatum est. Magna vi simillimum exemplum existimo, quod offert nomen oppidi Arabici ad mare rubrum siti Βαίσαμψα dicti, quod simili modo ex vocibus בית־שמש beth-schemesch h. e. domus solis, ortum est, cf. Stephan. in lib. d. urbibus. Quam in rem probandam varia collegit Bochartus, qui in eo tantum errasse videtur, quod praeconcepta opinione rem demonstrare adnixus, periculosam exempli imitationem iis prodidit, qui foetutinis grammaticis delectarentur. Tum Bocharto auctore surgere potuerunt, qui, ut e multis pauca afferam, nomen Ὀλύμπου ab עולמים בו olamimbo, h. e. aeterni dii in eo, derivarent; qui uti Joann. Turnerus in bibl. universal. 15. pag. 53. inter alias ingenii delirantis ineptias originem pontificis in פונת את אש ponet et esch, h. e. qui ignem inspicit, quaererent. Certe hoc non in nostram etymologiam cadit. Huc accidit, quod mos colendi saxa de coelo delapsa atque asservandi in templis fanisque ex Oriente in Graeciam introductus esse videtur, cum antiquissima illius cultus vestigia in Phoenicia quaerenda sint, unde a Cadmo una cum literis in Graeciam translata fuisse, fabula tradit. Phoenicibus pariter ac Hebraeis mos erat ex antiquissimis temporibus, ut lapides cultui deorum consecratos ungerent, qui Jacobi exemplo probatur. Res et ipsa una cum nomine ex Asia in Europam pervenit. Quae cum ita sint, jam unde veniat litera ϑ in voce βαιθύλια, uti scriptum est in fragmentis Sanchuniathonis apud Eusebium l. c. quamquam omnes reliquae versiones habent literam τ, haud difficile intelligitur, ratione habita originis Phoeniciae vocis βαιθυλίων. Litera scilicet hebraica ת in בית־אל beth-el, par eademque est cum graeca ϑ. Nihilominus usum communem in scribendo hoc nomine sequi debemus,

qualem mythographi graeci adoptarunt. De abstrusa Fourmontis opinione, βαίτυλον nomen habere a Batuele, patre Labani, ac βαιθύλια idem significare quod תרפים theraphim, non est quod disseramus, cf. Fourmont, reflexions critiques sur les histoires des anciens peuples, tom. 1. liv. 2. sect. 3. cap. 2. pag. 65.

Apud Priscianum in inst. graec. edit. Basil. 1586. p. 127. alterum etiam nomen reperitur, Abdir sive Abadir, et Agdir sive Agadir, cujus de origine multum disputatum est, dubio nondum prorsus remoto. Sunt qui nomen illud per אבן אדיר eben adir h. e. lapis divus, explicare velint. Alii praeferunt etymologiam a vocibus אב אדיר ab adir, h. e. pater divus, ductam. אבן נדר eben neder, esset lapis votivus. Qui originem in lingua sanscritica quaerunt, abadir derivare student a vocibus *abi* et *adir* h. e. in finibus, idem quod terminus. Bochartus vero rem acu tetigisse videtur, nomen abdir ductum esse ab אבן דיר, putans, h. e. lapis rotundus. De immutata litera ן in א conferenda sunt similia exempla, quae lingua graeca praebet, uti accusativ. θῆρα pro θηρν, δεχοίατο et εἰρύατο pro δέχοιντο et εἴρυντο. Contra ea Joann. Conrad. Stephan. Hoellingius in dissertatione de baetyliis veterum sive de lapidibus unctione numini consecratis, Groning. 1715. Lips. 1724. Brem. 1729. dicit:— Etiamsi Bochartus in Phaleg et Canaan multi varia eruditione probare annitatur, vocem Abaddir ex Phoenicio אבן דיר quod lapidem sphaericum denotet, corruptam esse: vix tamen ipsi assentire potero, cum ex aliis auctoritatibus constet, baetylia non semper sphaerica, sed etiam aliarum figurarum fuisse. — Eam quam modo commemoravimus Bocharti opinionem de origine nominis ab אבן דיר, sive a lapide sphaerico ducenda, sublevat locus, qui apud Plinium in descriptione lapidum reperitur, ubi de gemmis cerauniis agens, betulos rotundos esse lapides dicit, cf. Plin. hist. nat. lib. 37. cap. 9. per illas (scil. ceraunias gemmas) quae nigrae sunt et rotundae, urbes expugnari et classes (Sotacus refert) easque baetylos vocari. — Cum lapides illos, quibus nomen baetyliis fuit, maximam partem rotundos fuisse constet, uti jam multis exemplis probabitur: quae Hoellingius l. c. contra Bochartum admonet, refellere possumus. Nomen abadir una cum baetyliis longum per tempus veteribus notum fuisse et postea deos ipsos significasse (uti Sanchuniathon unum filiorum Coeli et Terrae Βαίθυλον vocat) ex Augustini, episcopi Hipponensis epistola ad Maximum Madaurensem intelligi licet: Miror, quod nominum absurditate commoto in mentem tibi non venerit, habere tuos et in sacerdotibus eucaddires et in numinibus abaddires. — Abaddires apud Phoenices eosdem fuisse, quos Romani deos selectos, magnos, potentes sive deos majorum gentium vocarent, scimus. His omnibus argumentis satis probasse mihi videor, utrumque nomen lapidum illorum sanctorum, et baetylia et abaddires originem ducere ex lingua hebraica, quam maximam affinitatem cum lingua phoenicia habere, et ex ea ipsa ortam esse, neminem fugit, ratione habita testimoniorum, quae in scriptis patrum, quos dicunt, continentur; cf. Augustin. opp. ed. Antwerp. tom. 9. pag. 198: quod verbum linguae punicae consonum est, sicut alia

Hebraea permulta et paene omnia. — Id. in quaestt. super judices 6. 16: istae linguae (Hebraea et Punica) non multum inter se differunt. — Id. in Joann. tractat. 15.: cognatae quippe sunt linguae istae, Hebraea et Punica. — Hieronym. in Jerem. 5. 25: Poenorum lingua Hebraeae magna ex parte confinis est. — Id. in Jes. 3. 7: Lingua Punica, quae de Hebraeorum fontibus manare dicitur.

Pertractatis his rebus jam mihi propositum est, locos veterum scriptorum in medium proferre, in quibus exempla cultus baetyliorum referuntur. Fere omnes loci, quorum sunt permulti, in forma baetyliorum describenda consentiunt. In Asia, quae patria cultus lapidum sanctorum, sive litholatriae (sit venia verbo!) fuisse videtur, inprimis Phoenicia, Sanchuniathone teste, cultum illum fovebat, cf. Rosenmueller, altes und neues morgenland, 1. pag. 126: „bei den, den Hebraeern benachbarten Phoeniciern war die verehrung der heiligen steine besonders gewöhnlich; aber auch in vielen anderen gegenden.“ Reperiebantur ibi dispersi multi lapides, quos terminos fuisse atque sacrosanctos habitos esse, tradit auctor. Hypsouranion, quem mythographi Phoenicii primum hominem ex quinta stirpe, natumque e genere gigantum fuisse fabulantur, mortuum coluerunt Phoenices cippis et columnis, quas ei pro simulacris consecraverunt. Orientales prisca aetate sancte ac religiose lapides observasse, Eusebius est auctor, dem. evangel. 1., 10. quos consuevisse ait, τὰς στήλας προσκυνεῖν καὶ ταύταις ἑορτὰς ἄγειν κατ’ ἔτος. Emisae (cui hodie apud Arabes nomen est: Hims) in templo dei Elagabali baetylum fuisse, quem postea Heliogabalus imperator Romanus, sacerdos illius numinis, Romam portare juberet, Herodianus narrat, cf. Herodian. hist. lib. 5. cap. 3. qui saxum ita describit: λίθος δέ τις ἔστι μέγιστος, κάτωθεν περιφερῆς, λήγων εἰς ὀξύτητα · κωνοειδὲς αὐτῷ σχῆμα τε καὶ ἡ χρώια μελαῖνα. Διοπετῆ δὲ αὐτὸν εἶναι σεμνολογοῦσιν ἐξοχὰς δέ τινας βραχείας καὶ τύπους δεικνύουσιν. εἰκόνα δὲ ἡλίου ἀνέργαστον εἶναι θέλουσιν, οὕτω βλέποντες. — Qui lapis conspicitur in nummis Romanis Heliogabali et in nummis Ephesiis, v. Eckhel, doctrina nummor. vett. tom. 7. pag. 240. tom. 3. pag. 211. Beger, thesaur. Brandenburg. 2. 712. Vaillant, numismata Imperatorum praestantiora, ed. 2. tom. 22. pag. 285-288. Vaillant, numismata a populis Graecis cusa, pag. 127. Beger l. c. nummum affert, cui circumscribitur: SANCTO DEO SOLI ELAGABAL, in quo conspicitur lapis conoidicus, quem circumstant perticae quatuor umbracula sustinentes, vehitur curru ab equorum quadriga tracto. Herodiano teste solis imaginem in eo lapide humana arte non fabrefactam esse, saxumque ipsum a coelo delapsum haberi, confirmat ille nummus. Herodianus l. c. addit: θεον ἥλιον οἱ ἐπιχώριοι σέβουσι, τῇ Φοινίκων φωνῇ Ἐλαιογάβαλον καλοῦντες. — Atenim vero primordia ejus nominis unde repetenda sint, dubitandi datur occasio, ita ut multiplex sensus admittatur. Zoëga, de usu atque origine obeliscorum explicat Elagabalum per deum Terminum אל גּבל el gabal. Salmasius et Casaubonus in notis ad Lampridium interpretantur: deum montis. Bochartus l. c. et Joann. Seldenus de diis Syriis syntagm. pag. 220. seqq. conjiciunt nomen Elagabali, graece Ἡλιο-

γαβάλου exortum esse ex Agolbal sive Agalibaal, i. e. deus rotundus, quam notionem reperimus apud Ciceronem de nat. deor.: deus rotundus, circularis aut volubilis, ut dicebant ii, qui sphaeram mundi deum sentiebant. Radix hebraica גלל galal, denotat idem quod latinum: volvere. Quod consentit cum conjectura Bocharti supra discussa de origine nominis abaddir, quod ex אבן דיר h. e. lapis rotundus, corruptum esse vidimus. Lapidem Pessinuntium, ut breviter dicam, qui Pessinunte urbe Galatiae in templo Cybeles colebatur, tum quidem Attalo rege, jubentibus libris Sibyllinis, Romam transportatus est (vid. Liv. 29. 10. sqq.), de coelo cecidisse et pro simulacro deae habitum esse narrat Appianus in libro qui inscribitur de bellis Annibal. cap. 56. et Dio Cassius 16. 33. edit. Reimar. pag. 313. quem Arnobius advers. gent. 6. 196. 7. 253. ita describit: Lapis quidem non magnus, ferri hominis manu sine ulla impressione qui possit, coloris furvi atque atri, angellis prominentibus inaequalis. — Prudentius, hymn. 10. 155. huic baetylio effigiem humanam attribuit: Lapis nigellus evehendus essedo,

Muliebris oris clausus argento sedet. —

Claudianus de raptu Proserp. lib. 1. v. 201. lapidem in templo Cybeles, quod erat in monte Idaeo, cultum, religiosam silicem vocat. — Cf. Bancir [Banier] sur la mère des Dieux, mém. d. l'acad. d. I. et d. B. L. tom. 5. p. 244. Falconnet diss. sur la pierre de la mère des Dieux, ibid. tom. 23. pag. 213. — Urbs Pessinus et ipsa ἀπὸ τοῦ πεσεῖν nomen accepisse fertur, uti Ammian, Marcellin. 22. c. 22. et Herodian. 1. c. 2. docent, Herodian. l. c. αὐτὸ τὸ ἄγαλμα διοπετές, ὡς λέγουσι... τοῦτο δὲ πάλαι μεν ἐξ οὐρανοῦ κατενεχθῆναι λόγος εἴς τινα τῆς Φρυγίας χώραν · Πεσσινοῦς δὲ ὄνομα αὐτῷ. τῆν δὲ προσηγορίαν λαβεῖν τὸν τόπον ἐκ τοῦ πεσόντος ἀγάλματος καὶ πρῶτον ἐκεῖσε ὀφθῆναι. — Quid veri insit tam levi etymologiae si quaeritur, Graecis numquam studiose inquirentibus, unde nomina sint ducta, fidem habendam non esse inter omnes constat. Jam antea egregium exemplum in origine baetyliorum nominis deducenda nobis se praebuit. Nomen urbis Pessinuntis, pro quo etiam reperiuntur formae Πισινοῦς, Πεσινοῦς, rectius derivatur a voce hebraica פסא pissa (ἁπαξλεγόμενον Ps. 76, 16.) i. e. abundantia, a radice פשׂה passa, se diffundere, aram. פסא, chald. פסה.

Jam ad cultum lapidum, quali Graeci utebantur, venimus, cujus a rerum scriptoribus multa referuntur exempla. Fere omnibus numinibus plus minusve baetyliorum Graeci consecraverant, quibusnam inprimis, mox videbimus. Photius bibl. vit. Isidor. τῶν βαιτύλων ἄλλον ἄλλῳ ἀνακεῖσθαι θεῷ, Κρόνῳ, Διί, Ἡλίῳ καὶ τοῖς ἄλλοις, confirmat. In templo Gratiarum Orchomeni lapides quidam temporibus Eteoclis regis a coelo delapsi colebantur, vid. Pausan. 11. 38: Ὀρχομενίοις τὸ ἀρχαιότατον τῶν Χαρίτῶν ἐστιν ἱερόν. τὰς μὲν δὴ πέτρας σέβουσι τὰ μάλιστα. καὶ τῷ Ἐτεόκλει φασὶν αὐτὰς πεσεῖν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. — Apud Aegospotamos tempore, de quo scriptores inter sese valde dissentiunt, multos aërolithos de coelo cecidisse narrant Plutarch. in vit.

Lysandri, Marmor Parium: ἀφ' οὗ ἐν Αἰγοσποταμοῖς ὁ λίθος ἔπεσεν. — Diog. Laërt. 2. 10, 12: φασὶ δ' αὐτὸν (Ἀναξαγόραν) προειπεῖν τὴν περὶ Αἰγοσποταμὸν γενομένην τῶν λιθῶν πτῶσιν, ὅν εἶπεν ἐκ τοῦ ἡλίου πεσεῖσθαι. — Aristot. d. meteor. 1. 7. Plin. h. n. 2. 38: celebrant Graeci Anaxagoram praedixisse, coelestium litterarum scientia, quibus diebus saxum casurum esset de sole. — Ammianus Marcellianus 22. 8. — Quo tempore ceciderint illi lapides, non satis constat: differt inter olympiadem 72. 73. et 74. Testimonia de imbribus lapidum apud veteres rerum scriptores dispersa collegit Stobaeus in eclog. phys. cap. 15. 1. Aristoteles l. c. Livius, Plinius, Jul. Obsequens, alii. Athenis in templo Veneris Uraniae, quam ferebant Parcarum vetustissimam, lapis erat instar Hermarum pro simulaco Deae habitus, cf. Pausan lib. 1.: Οὐρανίας ἄγαλμα τετράγωνον κατὰ ταῦτα καὶ τοῖς Ἕρμαις. — Baetylus quidam in gymnasio Abydeno longum per tempus colebatur, quem eundem esse cum eo, quem Plinius Cassandriae sive Potidaeae viderat, verisimile habent non nulli, Plin. h. n. 2. 58: colitur lapis et Cassandriae, quae Potidaea vocitata est, qui lapis etiamnunc ostenditur, magnitudine vehis, colore adusto, comete quoque illis noctibus flagrante.

Praeter illa quae modo enumeravimus saxa, quae ipsis verbis de coelo delapsa praedicabantur, multorum aliorum similium lapidum apud veteres fit mentio, quibus templa dedita erant, vel quae pro simulacro numinis cujusdam habebantur. Fere omnes hos baetylos conoidicos fuisse, ex permultis imaginibus, quae in nummis atque in monumentis delineantur, dilucide perspicimus; cf. Pellerin, recueil de médailles, table 80. no. 70. Eckhel, mus. Caes. 1. p. 233. Sestini, descr. numm. vett. 7. pag. 240 Beger, thesaur. Brandenburg. 2. 712. Vaillant, numm. imperr. praest. ed. 2. tom. 2. pag. 285-288. — Eckhel, doctr. numm. 3. p. 711. Uti antea Gratias sub forma lapidum cultas esse vidimus, sic Amorem quoque item adoratum fuisse apud Thespienses, Pausanias dicit, cf. 9. 27: θεῶν οἱ Θεσπιεῖς τιμῶσιν Ἔρωτα μάλιστα ἐξ ἄρχῆς, καί σφίσιν παλαιότατον ἄγαλμα ἐστὶν ἀργὸς λίθος. — Apud Orchomenios astra sub formis columnarum vel cipporum culta, idem docet auctor 3. 20: κίονες ἑπτὰ κατὰ τρόπον οἶμαι τὸν ἀρχαῖον, οὓς ἀστέρων τῶν πλανητῶν φασὶν ἀγάλματα.

Simulacrum Jovis Casii in templo Laodiceno erat lapis quidam, quem statuisse dicebatur Juppiter Typhone apud montem Casium in Aegypto superato. In nummis quibusdam cernitur lapis in medio templo positus, cui hoc circumscribitur: ZEYC KACIOC. De quo vid. Creuzer Symbolik 3. 5. 105: „Juppiter wurde selbst als stein verehrt. Das war der Ζεῦς Κάσιος, als unförmiger, wohl auch kegelförmiger stein vorgestellt.“

De baetylo in templo Delphico a Jove deposito, praeter id quod in exordio de eo dictum est, vid. Pausan. 10. 40. Lycophron in Cassandra Jovem appellat δίσκον μέγιστον, ratione certe habita formae sphaericae, qua lapis ille praeditus erat. Teleius cognomen fuit, quod Juppiter a Tegeatibus receperat, cujus simulacrum lapis tessellatus vix dedolatus fuisse dicitur. Item Jovem

Seleuciae, nobilissima Syriae urbe sub lapidis imagine cultum esse, nummus est testis, quem J. F. Gronovius in Ammian. Marcellin. tab. 5. fig. 3. tradit. Pausanias in Corinthiacis lib. 2. cap. 9. de simulacris Jovis Meilichii et Dianae Patroae refert, quae nulla arte facta praedicat: ἐν Σικυῶνι ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐστὶ Ζεὺς Μειλίχιος καὶ Ἄρτεμις ὀνομαζομένη Πατρῷα, σῦν τέχνῃ πεποιημένα οὐδεμίᾳ πυραμίδι δὲ ὁ μειλίχιος, ἡ δὲ κίονι ἐστὶν εἰκασμένη. — Huc etiam pertinet umbilicus Jovis Ammonis in templo notissimo oasis Libycae, de quo v. Curt. 4. 7, 23. Simile saxum, quale fuit cippus Dianae Patroae, in templo Laodiceno pro deae simulacro colebatur. Salmasius, divos lapides fuisse in adyto Dianae Laodicenae, arbitratus, sublevatur nota quadam Casauboni, lapides divos appellari famosissimum illud simulacrum ab Oreste et Iphigenia e Taurica ablatum. Lampridius in vit. Heliogabal. cap. 8: Lapides qui divi dicuntur ex proprio templo Dianae Laodicenae ex adyto suo, in quo Orestes id posuerat, afferre voluit. — Pausanias in Achaicis narrat, ante aedem Dianae Λυκείας jacere lapidem quemdam sacrosanctum habitum. De numismate quodam Philippi, in quo templum, ejusque in medio rupes vel mons cernitur, his verbis circumscriptis: ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΠΕΤΡΑΙΑΣ. vid. Pausan. in Phoc. cap. 24. Pharenses triginta lapides tessellatos pro deorum simulacris coluerunt, quibus Mercurio consecratis nomen erat ἕρμακες sive ἑρμεῖοι λόφοι, quia illis Mercurius periodos divisisse narratur, de quorum nomine et cultu cf. Hom. od. 2. 471: ὅτι ἑρμαῖος λόφος ἐστίν. — Antholog. Graec. epigr. 4.: Ἱερὸν Ἑρμείῃ παραστείχοντες ἔχευαν Ἄνθρωποι λίθινον σωρόν. — Quid quod ipsa oracula Sibyllina fictitiam horum tumulorum lapideorum religionem exprobrent: Κἂν πάρ' ὁδοῖσι λιθῶν συνχρώματα ταῦτα σέβεσθε. — Pausan. 7. 22. τούτους σέβουσι νοί Φαρεῖς ἑκάστου θεοῦ τινος ὄνομα ἐπιλέγοντες · τὰ δὲ ἔτι παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. — De Hermis cf. H. Alexandri explic. tab. Heliac. in Graev. thesaur. vol. 5. p. 722. Schildium de Chaucis 2. 3. Eberhard. Feithii antiqq. Hom. 1. c. 3. Creuzer, symbolik u. mythol. 1. 5. 55: „früher als die eigentlichen hermen vertraten steine die stelle der cultusbilder, vom himmel gefallene, gesalbte steine.“ — Magnum lapidem tessellatum Amazones Marti in Aretiade insula quadam Ponti Euxini dedicaverunt, quem Apollon. Rhod. Argonaut. 2. 1173. describit: εἴσω δὲ μέλας λίθος ἠρηρεῖτο Ἱερὸς, ᾧ ποτε πᾶσαι Ἀμάζονες εὐχετόωντο. — Alia simulacra deorum rudia ac deformia erant exempli gratia saxa, quae in templo Hyetti in Boeotia Herculem et Amorem Thespium repraesentaverunt. Auctor Phoronidis apud Clementem Alexandrinum Junonis Argivae statuam κίονα dicit vel columnam, notante Scaligero ad Eusebium. Bacchus eodem teste sub columnae forma cultus. Paeonas discum pro Sole adorasse docet Harpocrates. Cappadocibus fuisse montem καὶ θεὸν καὶ ὅρκον καὶ ἄγαλμα, scribit Maximus Tyrius in dissert. 38. Getas sive Dacos rupem quendam instar numinis coluisse, ex Strabon. lib. 8. constat: παρὰ δὲ τοῖς Γεταῖς ὁ ἱερὸς ὠνομάζετο θεός · καὶ τὸ ὅρος ὑπελείφθη ἱερὸν, καὶ προσαγορεύουσιν οὕτως. — Clemens Alexandrinus multifariis exemplis docet, columnas olim a Graecis pro simulacris

cultas esse, stromat. 7. 713. πάντα λίθον τὸ δὴ λεγόμενον λιπαρὸν προσέκουν. κίονας ἵσταντες πάντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. — Quid quod urbes nonnullae, si Kanne erste urkunde der geschichte, sequimur, a cultu lapidum sanctorum nomen acceperint, exempli gratia Μονογίσσα oppidum Cariae, quod germanice redditur per „Einstein." Stephano Byzantino teste vox carica γίσσον lapidem omnino, apud Graecos saxum quoddam mollius denotat. Alterum oppidum Graeciae nomen obtinuerat Λᾶς. Simili modo Hernici juxta etymologiam grammaticorum nomen suum duxerunt a voce Marsica: herna i. e. lapis, pariter ac Saxones, si conjecturam quam Kanne l. c. statuit, sequi licet. In Paeonia Λαινοι nomen derivasse dicuntur a voce: λᾶς. De Apollinis Carini simulacro quod Megaris erat, vid. Pausan. 1. 44: ἔστιν ἐν τῶν Μεγάρεων γυμνασίῳ ἀρχαίῳ λίθος παρερχόμενος, πυραμίδος σχῆμα οὐ μεγάλης · τοῦτον Ἀπόλλωνα ὀνομάζουσι Κάρινον. — In eo, quod Seldenus, de diis Syriis, ex Suida atque Hesychio conjicit, statuam Apollinis Aegyei lapidem fuisse basi circulari in conum desinentem, errat auctor. Praeter illum lapidem Pessinuntium deae Cybeli consecratum et baetylum Delphicum longe illustrissimum est saxum conoidicum, quod pro simulacro Deae Veneris Paphi colebatur, ubi antiquissimum ac celeberrimum ejus templum fuisse dicitur, cf. Hor. od. 1. 30, 1. Virg. Aen. 10. 51. Tac. hist. 2. 3. — Statuam Veneris in templo Paphico nulli alii rei assimilari posse quam pyramidi albae, ex locis veterum auctorum elucet, qualis et illa conspicitur in nummis Drusi apud Patinum, Trajani apud Tristanum. Antiquissima deae imago lapis modo umbilici modo coni similis erat, quem ne quis aërolithum esse putet, Boettiger et inprimis Lenz monent. Tac. hist. 2. 3: simulacrum deae non effigie humana, continuus orbis, latiore initio, tenuem in ambitum, metae modo exsurgens. — Serv. schol. ad Virg. Aen. 1. 720: apud Cyprios Venus in modum umbilici, vel ut quidam volunt, metae colitur. — In nummis Cypriis tres coni in templo positi excusi sunt, quorum medius et is quidem altissimus statuam Veneris ipsam exprimere debet. Ab hoc lapide insula nomen Golgi accepisse dicitur, unde Venus Γόλγων ἄνασσα praedicatur. Cf. Eckhel, doctr. numm. vett. 3. 86. Falconnet, des baetyles, mém. d. l'ac. d. I. et d. B. L. tom. 6. pag. 258. Guigniaut, la Vénus de Paphos et son temple, Paris 1827. 8. Reinhard, geschichte von Cypern, bd. 1. tfl. 2. G. Lenz, die göttin zu Paphos, Gotha 1840. 4. Lapides conoidici, quos in nummis Palaestinensibus excusos conspicimus, et ipsos nihil aliud esse quam celeberrimum illud simulacrum Veneris Paphicae, verisimile est, cum Veneris cultus per totam Asiam versatus, diversissimis et nominibus et formis uteretur. Postea, ubi de more litholatriae Christianis etiam temporibus florente dicendum erit, nos ad hunc Veneris lapidem revertamur necesse est, quo facilius id, quod hucusque crux interpretum erat, explicemus, ratione habita originis illius cultus.

Jam morem lapidum colendorum, qualis fuit apud Romanos, paucis verbis adumbrabimus. Romae quoque lapidibus informibus honor divinus habebatur, ut manali lapidi vel petrae, quae docente Festo extra portam

Capenam juxta aedem Martis erat, quam cum propter nimiam siccitatem in urbem protraherent cives, insequebatur statim pluvia, eumque quod aquas manaret, manalem lapidem dixere. In agro Crustumino, teste Liv. 41. 9. lapis qui de coelo in lucum Martis ceciderat, sacer habitus est: quem eundem esse cum eo, quem ex rostro avis sangualis decidisse narrat Liv. ibid. verisimile habeo. Sunt qui contendant, nihil huc pertinere vetustissimum Romanorum usum, uti Apulejo vocatur, jurandi per Jovem lapidem, quem Aulus Gellius in noct. Att. 1. 21. jusjurandum sanctissimum dicit. Jos. Laurentius in Polymath. pag. 219. sanctissimum Romanis jusjurandum fuisse putat per Jovem Lapidem, adeo ut etiam in proverbium cesserit, inde natum, quod Jovis simulacrum in Capitolio lapis erat. Nonnulli locutionem eam ellipticam esse censent, et qui ritu illo jurarent, silicem lapidem tenuisse haec verba dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter salva urbe arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem! — Contra eos alii hanc jurisjurandi formulam explicare volunt per statuam lapideam, quae Jovi in Capitolio posita erat. Sed fuit omnino mos populis antiquis, cujus multa similia exempla se praebent, non solum Graecis ac Romanis, verum etiam Hebraeis, ceteris, per lapides jurare. Ad lapides homines profani juramenta praestabant, cf. Hesych. a. v. λιθωμόται; eosdemque lapides populi simulacris servientes ad foedera sancienda adhibebant, vid. Herod. lib. 3. Demosth. c. Conon. πρὸς λίθον ἄγοντες καὶ ἐξορκοῦντες. — Lapides divos Turnebus putat esse simulacra deorum, veteresque inde per Jovem lapidem jurasse. Item Zoëga originem formulae jurisjurandi illius in cultu baetyliorum quaerendam esse dicit. Hannibalem commemorat Livius, cum suis praemia polliceretur, agnum laeva, dextra manu lapidem tenentem. Huc addi potest, quod Plutarch. d. flum. 18. 3. dicit. In flumine Argolidis Inacho lapidem inveniri, haud dissimilem berylli, qui nigrascat, si quis eum manu sumat, qui falsum velit dare testimonium. Quorum multos in fano Junonis prosymnaeae jacere, Timoth. in hist. Argol. tradit. Mentionem quoque facit eorum Agatho in secundo de fluminibus libro. Kanne, erste urkunde der geschichte, vel proverbium nostrum usitatissimum: „stein und bein schwoeren“ ab antiquo illo more vult derivare. Deus terminus omnibus temporibus solo lapide repraesentabatur, unde venit, ut termini et ipsi divi haberentur, cf. Ovid. fast. 2.

Termine, sive lapis, sive es defossus in agris
Stipes! ab antiquis tu quoque numen habes.

Tibull. eleg. lib. 1.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florida serta lapis.

Propert. eleg. 1. 4.

Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicunque sacer, qualis ubique lapis.

Lucianus in pseudomante Rutilianum notat quendam, si quando λίθον ἀληλιμμένον ἤ ἐστεφανώμενον conspexisset, continuo in genua cecidisse, adorasse, vota fecisse, et prospera ab illo postulasse. Lactant. divin. inst. lib. 1. cap. 20: lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen est terminus. Hic est quem pro Jove Saturnus dicitur devorasse. — Nota est Numae lex de termino: *QVEI TERMINON EXARASSIT IPSVS ET BOVIS SACREI SVNTO.* Haud inepta esse videbitur conjectura, ancile, quod Numa rege de coelo cecidisse fertur, unde caelestia arma diceretur, et ipsum baetylum quemdam fuisse, arte humana paullum transformatum; vid. Liv. 1. 20, 4. Ovid. fast. 3. 373. Virg. Aen. 8. 664. Aërolithorum modo colebatur.

Apud Aegyptios quoque et nostris etiam temporibus apud Arabes recepto inter veteres more, saxa eorum quorum jam mentionem fecimus, simillima, tanquam deorum simulacra, quin pro numinibus ipsis colebantur, etiamnune coluntur. Falconnet l. c. pag. 526. ex hypopnestico Josephi Christiani cujusdam scriptoris saeculi quinti commentario ad Jamblichi librum de mysteriis Aegyptiorum non satis adhuc cognito, locum attulit, ubi auctor narrat, in templis saxa quaedam parietibus immissa fuisse, quae petentibus oracula dedissent, quibusque nomen baetyliorum fuisset. Jamblich. d. myst. Aeg. ed. Thom. Gale, pag. 215: τὰ ἐν τοῖς ναοῖς βαιθύλια διὰ λίθων ἐν τοῖς στοιχείοις προσρασσόντων. — Hoc fere idem est, quod ab antiquis pariter atque a recentioribus scriptoribus de saxo refertur, quod Meccae in templo, cui nomen est Kaaba, muri columnae immissum est, quo sacerdotes tanquam oraculo uti solent; cf. Sim. Assemanni, saggio sull' origine, culto, letteratura e costumi degli Arabi avanti Maometto. Padova 1798. pag. 21. 24. qua auctor narrat, lapidem illum haberi monumentum Ismaëlis, quem patrem generis sui Arabes praedicant. Muhamedani in parvo templo, quod ab Adamo fabulantur esse conditum, postquam pulsus fuit paradiso, et in quo Abraham, Ismaël et Mohamed preces suas fecisse dicuntur, colunt et osculantur lapidem al-hajar-al-assowad, quem a Gabriele archangelo ad Abrahamum portatum initio lacte et nive candidiorem atque instar solis lucidum fuisse, sed nigrum factum propter peccata hominum, docet Chevraeus in historia mundi. Bernhardus a Breitenbach in itinerario Hierosolymitano, Mogunt. 1486. originem lapidis albi et nigri, a filiis Lothi ducere studet, quibus nomen erat Ammon et Moab. Niebuhr, beschreibung Arabiens s. 312. haec confirmat, paulum mutato lapidis nomine in: Hhadjar-al-assonad. Antonius Martyr in itinerario suo eundem lapidem commemorat. Job. Phil. Casselius in diss. περὶ τῶν λίθων κεκραξομένων ad Luc. 19. 40. part. 1. pag. 15 dicit: fallor, numne huc (scil. in numerum lapidum clamantium) referendus lapis brachtan, sive lapis niger, qui Mekkae in patria Muhamedis summa olim religione colebatur, in media templi Muhamedis sanctissimi, quod proprio nomine al-kaaba dicebatur, et ab Adamo ad Muhamedis usque tempora conservatus sancteque cultus fuit. — De Brachthan, alterum ut adeamus fontem, Veneris apud Arabes simulacro, vid. catechesin Sarazenorum: anathematizo ipsam illam precationis domum in Make, in cujus medio jacere ajunt lapidem magnum,

effigiem Veneris in se habentem! — De Brachthan, arabice: benedictus, a radice hebraica ברך barach, h. e. benedicere, cf. Hadrian. Reland. d. relig. Muham. p. 155. 174. P. D. Huet. dem. evangel. prop. 4. pag. 81. Albert. Schumacher. diss. d. Chemosch, Moabitarum idolo. pag. 22. Idem, quod Prudentius hymnor. 10. 155. lapidi Pessinuntio, Zygabenus lapidi Sarazenorum tribuit, effigiem scilicet humanam. Des Brosses du culte des dieux fétiches, pag. 167: parmi les pierres adorées il y en avoit quelquesunes de celles, que les Physiciens appèlent Hystérolithes, où la nature en les formant, avoit inprimé une espèce de figure de bouche ou du sexe féminin. — ibid. pag. 710: il n'y a guère lieu de douter, que la fameuse pierre noire si ancienne dans le temple de Mecque, si revérée par les Mahometans, malgré les saines idées, qu'ils ont d'un seul Dieu, et de laquelle ils font un conte rélatif à Ismaël, ne fût autrefois un fétiche. — De lapide Veneris Uraniae meminit Pausanias in Achaicis, et Clemens Alexandrinus in Protreptico. Foemina quaedam angelos Arot et Marot terram peragrantes hospitio perhumaniter excepit, atque ob eam causam caelo donata tanquam dea habita est. Atque haec forsan est, quam cis Muhamedem cultam cum prisca Arabum Venere Urania confundunt Europaei. Venerem in magno lapide Brachthan dicto etiamnunc colunt Muhamedani, quod credunt, super eum Abraham cum Hagar coiisse, aut camelum ei alligasse, cum Isaac filium erat sacrificaturus, ut scribit Euthymius Zygabenus in Panoplia, ed. Sylburg: ὁ δὲ ῥηθεῖς λίθος κεφαλὴ τῆς Ἀφροδίτης ἐστι, τὸν πάλαι προσεκίνουν οἱ Ἰσμαηλῖται. — Haud supervacaneum esse videtur, nonnullos locos ex veteribus scriptoribus collectos afferre, quibus conjici possit, lapidem, de quo illi referunt, eundem esse cum nostro hadschar-al-hassovat dicto. Arnob. 6. 196: videtis temporibus priscis coluisse. informem Arabas lapidem. — Max. Tyr. diss. 38.: certe Palaestinae finitimi Arabes lapidem pro deo coluerunt. — Descriptio lapidis, quam apud Suidam invenimus, cadit in eum, quem hodierni Arabes etiamnunc ostendunt: Θευσάρης, τούτ' ἐστι θεὸς Ἄρης ἐν Πέτρᾳ τῆς Ἀραβίας · τὸν δὲ γὰρ μάλιστα τιμῶσιν. τὸ δὲ ἄγαλμα λιθός ἐστι μέλας, τετράγωνος, ἀτύπωτος, ὕψος ποδῶν τεσσάρων, εὗρος δύο. — Suidas Dusaren Arabum confert cum deo Marte: de Graecorum arte etymologica quid sit judicandum jam supra vidimus. Ceterum vid. Hesych. et Stephan. Byzant. s. v. Suida minimo jure nomen dei Arabici derivante a deo Marte, alii deum, quem Arabes sub forma lapidis colebant, Bacchum habent, cui cognomen Dusares fuerit. Nihil sermonis graeci in illis verbis quaerendum est. Quid? mox demonstrabimus. Origenes cont. Cels. 5. 5. 37. Herod. 3. 8. hoc confirmant, quo teste septem lapides in medio positi Bacchus atque Urania vocati sunt. Ibidem Astarte sive Alilat dea fuisse praedicatur, quam Arabes sub forma lapidis venerarentur. Astarte vero eadem fuit atque Venus. Orig. c. Cels. 5. § 37: οἱ Ἀράβιοι τὴν Οὐρανίαν καὶ τὸν Διόνυσον μόνους ἡγοῦνται θεοῦς, ἐν οἷς ἡ θῆλυ καὶ τὸ ἄῤῥεν δεδόξασται. — Sunt etiam, qui Deum, quem Herodotus ab Arabibus nomine Urotal cultum esse narrat, Dionysum, alii, qui Uraniam habeant. Dionys. Periegetes in orb. descr. pag. 939. putat, Bacchum Jovis filium apud Arabes

natum fuisse, cui quid veri insit nescio. Ceterum Suidas et Hesychius dicunt: Δουσάρην τὸν Διόνυσον καλοῦσιν οἱ Ναβαταῖοι, ὡς φησίν Ἰσίδωρος. Alterum etiam nomen occurrit in Codin. orig. Constantinopol: Θήσαυρος θεὸς σέβεται · Ἄραβες δὲ μάλιστα τιμῶσιν. τὸ δ' ἄγαλμα αὐτοῦ ἐστι μέγας λίθος τετράγωνος, ἀτύπωτος, ὕψος πόδων 'δ, εὖρος 'β, βάθος ἑνός. — Pro Urania et Baccho, vel pro Venere et Sole Herodotus et ceteri rerum scriptores quum profani tum ecclesiastici acceperunt ignota sibi numina ab Arabibus culta, cf. Herodot. 3. 8. Theophrast. histor. plantar. 9. 4. Plin. hist. nat. 10. 2. Arrian. exped. Alex. Magn. 7. pag. 496. Origen. c. Cels. 5. 34. Philostorg. histor. ecclesiast. 3. 4. Hieronym. in commentario ad prophetem Amos cap. 5. v. 25. Praeterea locus quidam Jes. 23. in hunc deum Arabum refertur juxta opinionem interpretum. In museo quodam Romano nummus Adraenus, urbis Arabiae Petraeae, reperitur, in quo deformis lapis conspicitur, circumscriptis his verbis: ΑΔΡΑΗΝΩΝ ΔΟΥΣΑΡ, vid. Zoëga, de usu et origine obelisc. pag. 207. Eodem auctore tres arae Neapoli in museo regio praestantes cum epigraphe: DYSARI SACRVM testantur cultum ejusdem dei, quem in Italia quoque sacrosancte habitum fuisse probabile facit antiquus inter Romanos receptus mos, religionem numinum barbarorum accipiendi et fovendi. Assemannus, quem supra laudavimus, Dusaren significare dicit: dominum domus, a radice coptica ϭⲥⲗⲓⲥ vel ϫⲱⲉⲓⲥ. Sunt etiam qui Dusarem affinem esse cum Jove (Ζεύς) contendant. Ac mihi quidem nomen illud etymon ducere posse videtur a vocibus hebraicis דוש dus h. e. deterere, et ארץ arez, ares, h. e. terra, qua conjectura concinna cum ceteris argumentis, Dusares numen quoddam agriculturae significaret. Nihil interest diversissimarum ejusdem nominis formarum, quales enumeravimus, Θευσάρης, Δουσάρης, Θήσαυρος, Dysares, quas ab una radice ducendas esse, apparet. Praeterire nolo Maimonidem leges citantem, quibus defenditur, Mercoli deo (i. e. Mercurio) eum honorem adhibere, de quo supra egimus, recepto apud nonnullos populos orientales more, lapides colligendi, collectosque numini cuidam, inprimis Mercurio, consecrandi. Verisimiles fit conjectura, respicientibus nobis superstitionis notissimam lentitiam, in lapide Hadjar-al-Harsowat unum eorum conservari, quos a priscis Arabibus cultos commemorant scriptores.

Hebraeos morem colendi lapides ab Aegyptiis et Phoenicibus finitimis populis accepisse, haud dubium est. In libris V. T. multa traduntur exempla, quibus dilucide perspicitur, Judaeos a monotheismo decessisse atque ad cultum lapidum apud paganos usitatum se convertisse. Notissimum est illud Genes. 28. 18. de quo jam dissertum est, quod quidem exemplum aptum esse Augustinus omnino negat, dicens, Jacobum non more idololatriae lapidem oleo perfudisse, velut facientem illum Deum, neque ei sacrificasse. — Qua via haec controversia solvi possit, mox videbimus. Accedunt loci non pauci in litteris sacris, qui hanc Augustini opinionem confundunt, cf. Genes. 21. 45., 28. 18.; Levit. 26. 1., 21. 1.; Deuteronom. 4. 28., 28. 36. 64.; Numer. 9. 52.; Deut. 29. 17.; 2 Reg. 19. 18.; Jes. 27. 19., 57. 6.; Jerem. 2. 27., 3. 9.; Ezech. 20. 32.; Dan. 5. 4. 27.; Habac. 2. 19.;

Actor. 17. 29.; Apocal. 9. 20.; Permultae leges quas Moses, et admonitiones quas prophetae adversus hoc idololatriae genus ediderunt, satis probant, apud Hebraeos finitimosque Palaestinae populos venerationem saxorum latissime patuisse. Quantum honorem et divinum paene cultum populi orientales, inprimis Hebraei lapidibus maxime gemmis habuerint, elucet ex eo, quod de pontificis maximi Hierosolymitani thorace, de אורים תומים urim et thummim dicitur, h. e. lux et fas, quo tanquam oraculo utebantur Judaei. Ex illa superstitione permulta transferebantur in cultum deorum ut apud Graecos ita apud Romanos, iis praecipue temporibus, a quibus ruina reipublicae et morum incepit. Judaei oraculo thoracis vim prophetieam quandam lapidibus infixis insitam attribuerunt. Gemmarum, quibus thorax pontificis maximi exornatus erat, nomina haec sunt: Lessem (amethystus) — Schebo (magnetes) — Aschlamah (lapis quidam soporifer) — Odem (sardus) — Pithera (topazius) — Barecheth (zmaragdus) — Nopheth (carbunculus) — Saphir (sapphirus) — Zahalom (jaspis) — Tharsis (chrysolithus) — Schohem (onyx) — Jaspe (beryllus) — Praeter librum Epiphanii de ephod sive thorace adhuc exstantem v. Braun, de vestitu sacerdotum ebraicorum tom. 2. pag. 481. Ab Hebraeis haec superstitio ad Graecos et Romanos certe per Phoenices vel Aegyptios transiit, quorum non pauci rerum naturalium scriptores multa de vi quadam magica secreta lapidibus maxime gemmis insita narrant. Achates amorem conjugalem augere, jaspis sacra jucunda ac sacra facere, amethystus ebrietatem impedire vel tollere dicebatur. Simili modo lapis alectorius mirificus habebatur, quem in stomachis gallorum vel in jecinore inveniri fabulabantur Graeci. Idcirco non mirum est, Diogenem Laërtium notare, Thalem principem philosophorum Milesiorum rerum naturalium peritissimum magnetem vita praeditum habuisse, quem Plinius et ipse tam multo tempore post, ferrum vivum appellat. Judaeis magnetes ante omnes sacer habebatur.

Jam pervenimus ad discrimen exponendum inter baetylos magnos, qui in publicis locis urbium, in templis adytisque ad damna a republica arcende ponebantur, atque inter baetylia minora et portatilia, quibus omnes fere populi veteris pro oraculis privatis, amuletis utebantur ad mala eludenda et bona paranda. Tales lapides inunctos virtute divina valere, affirmabant superstitiosi homines, multaque miracula vel potius fabulosa iis attribuerunt. Lucianus in deorum consilio dicit, omnem lapidem vaticinari, si sit oleo perfusus: πᾶς λίθος χρησμωδεῖ, ὃς ἂν ἐλαίῳ περιχύθη. Inquirentibus nobis caussam, qua adducti veteres baetyliis illis honorem divinum perhibuerint, jam obviam currit illud Ciceronis de natura deorum lib. 1. qua dicit, eos omnes deos esse habitos, a quibus magna utilitas ad vitae humanae cultum redundaret. Baetylia minora jam antiquissimis temporibus oraculorum naturam obtinuisse, ex Heleni vatis exemplo intelligi licet, qui cum lapidem illum, quem donum Apollinis fuisse tradunt, manibus contriverat, oracula ab eo accepisse fertur, uti Orphei λιθικά sive de lapidibus liber docet, quem si Orpheo ipsi attribui posse negamus, facere non possumus, quin

antiquissimae esse originis concedamus. Orphei λιθικά:

> ὅππoτε γὰρ μὶν πάγχι καμῇς ἐν χείρεσι πάλλων
> ἐξαπίνης ὀρσῇ νεογίλου παιδὸς ἀΰτην
> μαίης ἐν κόλπῳ κεκλήγοτος ἀμφὶ γάλακτι.

Ibidem lapis σιδηρίτης appellatur, quem poëta et ipse lapidem sagacem et animatum vocat. Conferendi sunt cum his λίθοι ἔμψυχοι, אבנים נפשים abanim nepheschim, quorum apud Sanchuniathonem fit mentio, et quos Bochartus in lapides unctos, λίθους ἀληλιμμένους, sive אבנים נשפים abanim neschephim, vertendos esse non satis probavit, cum lapides nonnulli a veteribus vi quadam vitali praediti haberentur. Hic de sancto Heleni vatis lapide locus, una cum altero, quem jam commemorabimus, postea ad explicandam cultus baetylorum (majorum) et baetyliorum (minorum lapidum) originem proderit. In bibliotheca Photii, pag. 1048. qua epitome Damascii de vita Isidori philosophi continetur, narratiuncula quaedam de Eusebio medico reperitur qui baetylio ad similem modum oraculorum et amuletorum utebatur. Damascius in vita Isidori narrat, Eusebium quendam coluisse et secum gestasse baetylum, Gennaeo Heliopolitarum in Syria deo addictum, figurae sphaericae, diametro dodrantali, coloris subalbidi, rubris litteris inscriptum. Quo lapide tamquam oraculo usus est simili modo, uti Helenus, nam l. c. p. 1062 additur: εἶδον τὸν βαίτυλον διὰ τοῦ ἀερὸς κινούμενον · qua de re Isidorus philosophus conjicit: εἶναί τινα δαίμονα κινοῦντα αὐτόν. — In templo Solis Heliopolitano (quam urbem hodie quidem in ruinis dirutam nostrates Baalbek vocant) Deum Solem oraculum celeberrimum habuisse, a quo Trajanus imperator de bello Parthico, consilium quaesivisset, testis est Macrobius in Saturnal. lib. 1. Ab auctore etymologici magni secundum Phavorinum rectificati certe illustrissimus illorum baetylorum minorum in singulari citatur his verbis: βαίτυλος λίθος γενόμενος κατὰ τὸν Λίβανον τὸ ὄρος τῆς Ἡλιουπόλεως. Multa ibi videntur fuisse baetylia, nam Damasc. vit. Isidor. in bibl. Phot. pag. 1048. dicit: ὅτι κατὰ τὴν Ἡλιούπολιν Συρίας εἰς ὄρος τὸ τοῦ Λιβάνου τὸν Ἀσκληπιάδην ἀνελθεῖν φησὶ, καὶ ἰδεῖν πολλὰ τῶν λεγομένων βαιτυλίων, περὶ ὧν μυρία τετραλογεῖ ἄξια γλώσσης ἀσεβούσης · λέγει δὲ καὶ ἑαυτὸν καὶ Ἰσίδωρον ταῦτα χρόνῳ ὕστερον θεάσασθαι. — Simile oraculum Heliogabali Emisae fuisse videtur. Sanchuniathon in historiae fragmento apud Eusebium exstante, distinguit inter baetylum lapidem, antiquissimum Phoenicum numen, Coeli Terraeque filium creditum: et inter baetylia, minorum gentium deos, in lapidibus quibusdam non magnae molis residentes, quorum adjutorio praestigiatores se et futura praescire et miras res efficere posse gloriabantur, quem secuti Fridericus Muenter, über die vom himmel gefallenen steine baethylien genannt, aus dem Dänischen übersetzt von Joh. Ambros. Markussen, Copenhagen u. Leipzig 1805. 8. sowie schriften d. kön. dän. Gesellsch. d. Wiss. v. J. 1804. differendum esse inter formam βαίτυλον et βαιτύλιον: item Friedrich von Dalberg, über

den meteorcultus der alten, Heidelberg 1811. 8. inter Βαίτυλον, Phoenicum deum, atque βαιτύλιον distinguendum esse putant. Superstitionem illam, quae maxime lapidibus vires mirificas attribuit, valde communem fuisse, probat locus a Thom. Gale in editione Jamblichi libri de mysteriis Aegyptiorum ex Nicephori notis in Synesium pag. 239. allatus: δαίμονες ἐξ ἀερὸς καὶ γῆς θέλγονται οἱ μὲν τοῖς λίθοις, οἱ δὲ ταῖς βοταναῖς. — Proclus in libro qui inscribitur de magia, daemones plus cognationis cum lapidibus quam cum plantis habere, affirmat. Similem Ophitis sive Sideritis lapidem, quo Helenus vates utebatur, notat Plinius Astroidem Zoroastri Medi, hist. nat. 37. 9. ubi lapides vi magica praeditos enumerat de Asteria, Astroide, Astrobolo, Akopo, Antipathe, Mithrace, Heliotropo, Carbunculo, Hephaestite, Calcophono etc. refert, in quibus qualis insit vis, magna ex parte jam in nominibus ipsis exprimitur. Sacerdotes Cybeles Pessinuntiae in cingulo baetylia minora, certe pro amuletis, tulerunt. Ex Genes. cap. 31. docemur, Rahel, uxorem Jacobi, fetissis quibusdam vel idolis magicis, תרפים theraphim dictis, tantum habuisse honorem, eorumque tam cupidam fuisse, ut patri Laban raperet et secum ferret. Qui cum Fourmonte l. c. nomen baetyliorum derivant a Batuele, baetylia eadem esse putant, quae illa תרפים. Nos quidem similitudinem in eo quaerimus, quod utrumque idolum, et baetylus et theraphim, rudes ac vix dedolatae figurae appellantur. Posteris temporibus spe et cogitatione quaestus commoti mercatores inprimis orientales baetylia minora, amuleta, alia, summo pretio vendiderunt, quorum maxime notandi sunt Idumaei sive Edomitae; cf. Zoëga, d. us. et orig. obelisc. pag. 241. Plerique originem ad alios retulerunt, quorum inprimis Montfaucon, antiquité expliquée, tom. 2. part. 2. culpam superstitionis ilius, quae baetyliis vim magicam et quasi divinam tribuit iisque tanquam merce utebatur, in sectas gnosticas Valentinianorum et Basilidianorum confert, cujus sententiam tam duram comprobare non possumus, cum jam antehac baetylia mirifica haberentur et venderentur: quamvis concedendum sit, hanc superstitionem quae usque ad quartum vel quintum saeculum duravit, magna ex parte in doctrina illorum hominum positam, iisque nolentibus ipsis, auctam esse. Quin etiam alterum baetyliorum nomen, antea inauditum, usitatissimum postea, dico abraxas, ex ipsis Basilidis verbis ducebatur, quippe qui in voce ἄβραξας numerum 365 contineri docuisse dicitur. Literae scilicet singulae vocis ἄβραξας significant singulos numeros, ita quidem, ut α respondeat 1, β 2, ρ 100, α 1, ξ 60, α 1, ς 200, qui numeri si adduntur, summam formant 365, quem mystice observabant superstitiosi homines, quia in eo numerus dierum communis anni continetur. Talium isopsephorum, quae dicuntur, multa sunt exempla, ut apud paganos, ita in doctrina sectarum Christianarum. Totidem deos, quot annus dierum continet, esse Basilides arbitratus, hos omnes uno nomine ἀβραξας complecti studebat. Innumeris lapillis, qui pro amuletis servirent, hac literae inscriptae erant, qua de re J. C. Scaliger notat: veteres haeretici, praesertim Valentiniani et Martosiani multa reliquerunt, quae hodie in antiquariorum loculis asservantur, cum eorum Deo ΑΒΡΑΞΑΣ.

Memorant hunc Gnosticorum deum etiam Tertullianus, et Irenaeus adv. haeret. 1. 23. Epiphanius, alii. Quo spectat magna testimoniorum farrago, quam Montfaucon in opere supra laudato producit. Multi alii in codice sacro loci praestant, quibus hoc probetur. De amuletis, talismanibus, phylacteriis, oppidorum erymatibus, baetyliis, et quaevis sint alia rerum similium nomina, ut ἐπάρτημα, περιάμνα, ἀποτροπαῖον apud Graecos, בית־נפש beth-nephesch, h. e. domus animae, apud Hebraeos, vid. Genes. 31. 19. 34., 35. 4.; Euripid. Jon. vers. 1018.; Plin. hist. nat. 11. 28., 20. 9., 30. 11. 15., 34. 15., 37. 3. 9.; Plutarch. d. Is. — Rosenmüller, alt. u. neu. morgenland, bd. 1. s. 152: „die תרפים gehören zum sabischen (die gestirne verehrenden) aberglauben. Mehrenteils hatten sie wohl eine menschliche gestalt.“ — Idcirco theraphim, (a radice syrica תרף tharaph, i. e. percontari, inquirere) huc pertinere, negant quidam, ex 1 Sam. 19. 13. 16. idola illa humana facie praedita fuisse conjicientes. At idem baetylis multis, lapide Pessinuntio, aliis, attributum est. Nota sunt Parsis sub nomine *telafim.* Nostris etiam temporibus, teste des Brosses, du culte etc. Romae in pede montis Palatini, in latere opposito versus Tiberim, lapis quidam, forma baetylorum simillimus cernitur, quem populus vocat: bocca della verità, qui forsitan prisco tempore tanquam oraculum instar illius Heleni et Eusebii baetyli habebatur. Memoriam baetyliorum posteris etiam temporibus, iisque maxime conservatam fuisse, proverbio probatur, quod reperitur in Mich. Apost. proverb. 10. 71: κἂν βαίτυλον κατέπιες. quod significare videtur: etsi tam prudens esses, quam si oraculum baetyli devorasses; habita sine dubio ratione fabulae, quam supra commemoravimus, de lapide, quem Rhea Saturno pro Jove devorandum dedisse dicitur. Contra hanc opinionem, quae Etymologici magni definitionem secuta, proverbium illud ita exponit, Hoellingius aliter explicat, quin nos de hac nostra sententia dimoveat, sensum proverbii et singulorum verborum torquens, ut rem arduam, minusque nobis gratam, contra animi sententiam eo exprimi contendat, baetylumque in illo proverbio lapidem quemvis denotare. Omnem lapidem inunctum adorare, in proverbium abiisse, docet Jos. Laurentius in polymathiae dissert. 37. ac de iis usurpatum esse, qui temere ac sine judicio erga quosvis afficiantur. Lucianus comparat Menippum philosophum in libro, cui titulus est Icaromenippo, cum baetylo vel aërolitho quodam: Μηνίππος ἡμῖν διοπετῆς πάρεστιν ἐξ οὐρανοῦ. — Hic informium rudiumque saxorum cultus diu duravit, ipsaque plebs christiana ea superstitione infecta erat, quod duobus exemplis probatur, quae Ivo Carnotens. part. 11. cap. 38. de capite concilii Nannetensis agens, affert, quo funditus effodi jubentur lapides, quos in ruinosis locis et silvestribus venerantur. Item de cap. concilii Agathensis, quo statuitur, perscrutandum esse, si aliquis vota vel ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides quosdam quasi ad altaria faciat. Tanta erat vis litholatriae, ut saecula multa perduraret! Quid dicam de supersitione, quam veteres populi ut orientales ita occidentales fovebant, cum ne nostris quidem temporibus exstincta sit, contra etiamnunc floreat? Quis est, quem fugiat amuletum illud famosissimum, quo Fastrada ab Harun-al-Raschid principe

Sarazenorum donata erat, qua mortua Carolus magnus uxoris dilectissimae lapidem mirificum obtinuit: de quo nuperrime serio in actis publicis referebatur, quem antea celeberrimus poëta Anglicus Lord Byron, nunc quidem Ludovicus Napoleo, Francogallorum imperator possidere dicitur? Quare non est, quod miremur aut exagitemus, si animo perpendamus, nosmetipsos superstitione illa adhuc infectos esse Judaeorum fuerunt permulti, qui lapidem a Jacobo erectum, unctum et consecratum, interjecto temporis intervallo, pro basi adhibitum fuisse statuerent, cui arca foederis imposita esset; quos Theodor. Hasaeus in dissertatione de lapide fundamentali arcae foederis, refutat. Curioso quodam fato illum a Jacobo adoratum lapidem, qui regni amplitudinem augere dicebatur, in Scotiam pervenisse ajunt quidam, uti e versibus his elucet:

Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum
Invenient lapidem hunc, regnare tenentur ibidem.

Anno vero 1297. Scotis a rege Angliae Eduardo 1. sub potestatem redactis, lapis ille miraculosus — per varios casus, per tot discrimina rerum — in templo Westmonasteriensi collocatus est, his versibus adjectis:

Si quid habent veri vel Chronica, cana fidesve,
  Clauditur hac cathedra nobilis ecce lapis,
Ad capud eximius Jacob quondam patriarcha
  Quem posuit, cernens numina mira poli.
Quem tulit ex Scotis spolians quasi victor honoris
  Edwardus primus, Mars velut omnipotens,
Scotorum domitor, noster validissimus Hector,
  Anglorum decus et gloria militiae.

cf. Georg. Buchanan, histor. rer. Scoticar. libr. 8. p. 251. De baetyliis, talismanibus, amuletis etc. multi existunt libri, quorum titulos tantum afferam, cum descriptio atque adumbratio hujus argumenti nimis abhorreat a re, quae hoc libello est tractanda. v. traité des talismans ou des figures astrales, Paris. 1668. — W. E. Loescher et Koblig, dissert. antiquar. d. talismanibus, Witeberg. 1697. 4. — P. F. Arpe, de prodigiosis naturae et artis operibus, talismanes et amuleta dictis. Hammon. 1717. 8. — Abhandlung von den talismans, Soorau 1763. 8. — Geschichte der talismanischen kunst, o. o. 1792. 8. — Fictuld, probierstein, Dresden 1784.

Qualis fuerit cultus baetyliorum, quibusnam caerimoniis exornatus, partim ex iis, quae jam protulimus, elucet. Reliqua addemus. Lapides, qui sacri, i. e. numinibus quibusdam addicti habebantur, uncti, coronati, adorati sunt. De lapidibus unctis cf. J. J. Bellermann, über die alte sitte steine zu salben. Erfurt, 1793. et Theophrast. character. eth. cap. 17.: καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων τῶν ἐν τοῖς τριοδοῖς παριῶν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν

καὶ ἐπὶ γόνατα πεσῶν καὶ προσκυνῆσας ἀπαλλάττεσθαι. — Siculus Flaccus d. cond. agror. p. 5: quum terminos ponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram rectos collocabant proxime ea loca, quibus fossis defixuri eos erant, et ungento, velaminibusque et coronis ornabant. — L. Apulejus: neque enim justius religiosam moram viatori objecerit aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus adumbrata, aut quercus cornibus onerata etc. vel lapis unguine delibatus. — Arnobius: Si quando conspexeram lubricatum lapidem et ex olivi unguine sordidatum, tanquam inesset vis praesens, adulabar, affabar, et beneficia poscebam. — Lucian. concil. deor.: πᾶς λίθος χρησμωδεῖ, ὃς ἂν ἐλαίῳ περιχύθη. — Prudent. c. Symmach.:

Lapis illic.
Si stetit antiquus, quem cingere severit error Fasciolis.

Lucret. lib. 5. Velatum vertier ad lapidem, idem est quam adorere lapides. — Apulej. apolog. pag. 504: Negant, vidisse se, qui ibi fuere, unum saltem in finibus ejus aut lapidem aut ramum coronatum. — Minutius Felix in epist.: Non boni viri est, Marce frater, hominem domi forisque lateri tuo inhaerentem sic in hac imperitiae vulgaris coecitate deserere, ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos sane et unctos et coronatos. — Jacobum defendit Augustinus, more idololatriae lapidem non perfudisse oleo, velut facientem illum Deum, neque adorasse neque ei sacrificasse. Lucianus in pseudomante narrat, Rutilianum, si quando conspexisset lapidem unctum vel coronatum, continuo in genua cecidisse, adorasse, vota fecisse et prospera ab illo postulasse. Sanchuniathon appellat baetylos lapides animatos, λίθους ἐμψύχους, quos Bochartus correxit in lapides unctos. Clemens Alexandrinus vocat eos λίθους λιπαρούς, lapides pingues, oleo perfusos.

Antiquissima apud Graecos litholatriae vestigia quaerenda esse mihi videntur in multis fabulis, quae a poëtis rerumque scriptoribus de permutationibus deorum atque hominum in lapides traduntur; quibus ostenditur veteres credidisse, in saxis habitare numina quaedam inferiora, vel daemones, pariter atque nymphas in fluminibus et arboribus. Huc pertinet mythus omnium notissimus de Deucalione et Pyrrha, qui ex lapidibus post tergum jactis homines procrearunt post diluvium magnum, quo totum genus humanum ad internecionem redactum fuisse traditur. Accedunt fabulae mythographorum, quas magna ex parte ab antiquitate traditas acceperunt, de commutationibus, exempli gratia, Batti per Mercurium in lapidem Lydium, Celmi per Jovem in adamantem, Phaëtontiadum per deos in succinum, Erycis aliorumque Phinei comitum per Perseum in lapides, Kerkopum, aliorum. — Hindostani multa fabulantur de lapide, cui nomen est Salagramma, in quem Wishnu per exsecrationem mulieris cujusdam, quam assumta facie absentis mariti fefellerat, mutatus est. Item Krishna in lapidem vertebatur.

Jam pauca nobis addenda sunt de cultu lapidum apud alios praeter hos quos commemoravimus populos usitatissimo, cujus nonnulla at non

satis explicata et demonstrata exempla in medium proferunt Meiners, allgemeine geschichte der religionen, bd. 1. s. 151. Zoëga de usu atque origine obeliscorum pag. 196. Exempla litholatriae, qualis apud paganos versatur, colligenda sunt in itinerum scriptoribus, quorum de Mogolibus et Seribus vid. Isbrand, voyage de Moscou à Chine en 1692. tom. 8. des voyages du Nord, pag. 111. — de Buraetis, Georgi, beschreibung der nationen des russischen reichs, Petersburg 1776. s. 318. — de Jacutis, Sarytschen, reise in das nordöstliche Sibirien, deutsch von Busse. Leipzig 1805. 8. 1. tom. pag. 27. — de Lapponibus, Regnard, reise nach Lappland, im 6. band der sammlung von reisen, s. 321. — Schefferi Lapponia, cap. 7. pag. 93. cap. 9. pag. 104. — Haegstraem hist. gén. d. voyages. tom. 19. pag. 259. — de Tybetanis et Hindostanis vid. A. Georgi alphabetum Tybetanum, Rom. 1762. 4. pag. 284. — Rogerius, new eroeffnetes heydenthum, Nuernberg 1663. 8. 1. 16. — Tavernier, reisebeschreibung, 1681. fol. 2. 169. — A. Hamilton a new account of the east Indies, Edinburgh 1727. 8. pag. 383. 385. — de Tunkinesis v. Tavernier, reisebeschreibung 3. 89. — de Amboinesis, Valentyn, ouden nieuw oost Indien, Amsterdam 1724. fol. 3. 2. — de Peruvianis, Acosta histoire naturelle et morale des Indes occidentales, Paris 1606. 8. pag. 206. — De Mexicanis, Alexander v. Humboldt, vues des Cordillères, cah. 2. pag. 94. — de Aethiopibus et Afris, de Bry descriptio regni auriferi Guineae, in tom. 6. Ind. orient. pag. 21. — de Guineensibus Afris, Haegstraem hist. gén. d. voyages, tom. 1. liv. 9. cap. 7. §7. — de Narsingensibus ibid. liv. 1. cap. 4. §4. — Quorum omnium fere auctorum descriptiones de modo litholatriae et de forma ac colore lapidum consentiunt cum iis, quas jam exposuimus. Idolum quoddam in pagoda Dschaggernautensi cultum Hamilton l. c. describit, lapidem esse magnum pyramidalem ceterum deformem et nigri coloris. — Ejusdem generis est Sommonacodom, quod simulacrum sub forma rudis saxi colunt Siamesi. Deus „Tlaloteuctli,“ ut diligentissimus animadversor Alexander ab Humbold observat, a Tultequibus sub forma duorum candidorum lapidum colitur, qui „teotetl“ h. e. divini dicuntur. Hindostanos notat Fridericus a Dalberg l. c. urbe Nepali apud Benares pro simulacro Mahadevae, amoris et procreationis dei, saxum nigrum venerari. In pagoda sive sacello Puravattam vel Pervuttum dicto lapis stat coniformis, quem „Mali-kardi“ dicunt, cf. Mackenzie’s reise, tom. 5. s. 20. Narsingenses in Indiae peninsula habitantes tres lapides nigros in sacello positos adorant. Vincent. Belior. in lib. arab. scripto advers. Muhamedanos, populos Indicos Albarachumas et Zechiamos bis anno lapidum tumulos collegisse, collectosque pro numinibus adorasse, refert. „Adoscht“ nomen lapidis, quem veteres Parsi sacrum habebant, in quo ignis sacer „aleschdan“ dictus splendebat. In Atui, una ex insulis Sandwichianis lapis quadratus Tongoroae deo tutelari consecratus fuit, cf. J. Cook. lib. 3. cap. 11. Exemplum, quod ad probandum apud Frisios et Saxones morem colendi lapides Zoëga et Dalberg locc. citt. afferunt, ineptum est, cum statuam illam lapidem deformem plane rudem ac nulla arte fabrefactam fuisse, omnes rerum Germanarum scriptores negent. Idcirco

Zoëga immensum apparatum criticum omittere potuit, quem substruxit, quo nomen originemque statuae Irminsulae quae dicitur, explicaret. Apud Aegyptios deum Canopum, cujus forma est notissima, ex baetylo quodam traxisse ortum suum qui arbitrantur, a Zoëga recte refutantur. Apud veteres Sauromatas deus Czur idem erat, qualis Romanis Terminus. Storjunkare, juxta mythologiam Lapponicam dominus terrae, silvarum, sub forma lapidis plane rudis colitur, cui idem est nomen, quod numini. In Saxonum morem aliquid lucis affert Caroli Magni capitular. 7. §236: si infideles vel faculas accenderint, vel arbores aut frondes aut saxa venerentur, et presbyter hoc eruere neglexerit, sacrilegii sese reum esse cognoscat. — Ceterum censet J. Grimm, deutsche mythologie, Göttingen 1835. s. 370. cultu saxorum maxime praecellere doctrinam Celticam, qualem Druidae constituerunt. Germanorum erat mos, lapides judiciales et rituales sacrosanctos habere. Per totum vero medium aevum superstitiosa opinio de viribus secretis lapidum late patuit, quam Marbodi (†1123.) liber lapidum et Alberti Magni (†1280.) opus aluerunt. Graecorum lapidem alectorium facillime recognoscimus in fabulosa gemma „siegstein“ dicta, de qua Marbod l. c. cap. 3.

> Invictum lapis hic reddit quemcunque gerentem,
> Extinguitque sitim patientis in ore receptus.

Alias lapis serpentinus victoriam parans praedicatur in poëmate Vindobon. cod. quod Grimm l. c. s. 632. laudat: „ich höre von den steinen sagen, daz grôze tugent daran lige, die natern und kroten tragen, swer sie habe, der gesige.“ Lapis, quem dicunt „siegstein“ commemoratur Otnit 558. 559. et Vilkinasag. cap. 96. cui aequalis est alius „wünschelstein“ apud Basile pentamerone 4. 1. Similes lapides mirifici in carminibus epicis saepe ob viam currunt. Britanni etiamnunc lapidibus quibusdam „holedstones“ sive „holystones“ dictis, i. e. saxis cavatis vires salutares attribuunt. Jam Edda Saemund. 137b similis amuleti „Jarknas“ dicti mentionem facit, qui idem esse dicitur, quem in corona imperatoris Romani immissum orphanum sive pupillum vocant scriptores medii aevi. De lapidum cultu in Germania septentrionali vid. Conringii antiqq. stat. Helmstad. — Wormii monument. dan. lib. 1. cap. 4. — Trogill. Arnkiel, cymbrisches heydenthum s. 223. — Joann. Pickardt, korte beschryvinge van eenige verborgene antiquiteten s. 23. Jusjurandum dederunt „at ursvoelum unnar steini“ et „at enom hvîta helga steini“ Edda Saem. 165a. 237b. — Aërolithos, quos dicunt „donnerkeile“ Dithmarsi hodie quoque venerantur et asservant, v. Müllenhof schleswigsche volksagen no. 480. — Montem Lusaticum Czornebog dictum urbi Budissin vicinum, cujus alterum latus „prasica“ appellatur ab oraculis petitis, comparare licet cum Romana illa „bocca della verità“ quam supra laudavimus, nec non cum saxo loquente Celtico, quem vocant „Llech-Llavar“ et cum rupe mirabili Druidarum in insula Mona sita, cui nomen est „Maen Mordhwyd“ de quibus vid. Mones europäisches heidenthum 2. s. 457. Quid

quod in fabulis Christianis mirae res de lapidibus narrentur? In historia fabulari de Sancto Graali lapis exillix commemoratur, qui e corona Luciferi in terram cecidisse et postea in ciborium eucharistiae commutatus esse dicitur, quod hodie etiam Genovae ostenditur, „il sacro catino" dictum. — Simillimae mythorum Graecorum et Indicorum sunt innumerae paene fabulae de gigantibus, qui lapidescunt, quorum sua quaeque gens monumenta in aeternam memoriam conservat et posteris tradit. De nominibus gentium urbiumque a litholatria ductis jam antea disseruimus.

Haec habui, quae de nomine et cultu baetylorum dicerem: quibus pertractatis restat, de origine et causis litholatriae disserere, sententiasque hominum eruditorum sub examen vocare. Quantum, idque gravissime peccatum sit in explicandis quum Graecorum et Romanorum, tum ceterarum gentium fabulis, ut ab antiquis ita maxime ab hodiernis scriptoribus, quis est qui nesciat? Quali licentiae, quam permulti viri docti jure reprehenderunt, et in narranda et in explicanda de baetylis fabula ob viam occurramus, mox videbimus. Haud minimam culpae partem attribuendam esse mythographis nostris, symbolicis qui dicuntur scriptoribus, inter omnes constat. Des Brosses, du culte des Dieux fétiches, recte animadvertit: „le système du sens figuré une fois admis, on y voit facilement tout ce que l'on veut, comme dans les nuages." Certe: media tutissimus ibis! — Exstiterunt permulti interpretes, in quos egregium illud Goethianum cadat: „Ihr legt nicht aus, ihr legt hinein." — Sunt qui in explicandis atque adumbrandis fabulis antiquis unam solam viam sequi studeant, quos in eo, quod ipsi justum ac verum habebant, saepius valde errasse videmus: qui steriles herbas eligentes hortum repurgent, eodemque tempore triticum evellant: vel quorum studia ac labores culturae prosint, ac simul plantas parasiticas foveant. A pluribus interpretandi rationibus opem solam poscendam esse existimo, nec in eorum numero haberi volo, qui praeconceptis opinionibus atque immaturo examine ad rem tractandam accedant. Friedrich August Wolf, vorlesungen über encyclopädie der philologie, herausg. v. Stockmann, Leipz. 1831. s. 235: „keine einzige quelle kann so sein, dass man alles in der mythologie aus ihr erklären könnte; vielmehr muss bei jeder mythischen erzählung darauf gesehen werden, welcher art, ob sie historisch, physicalisch, astronomisch oder moralisch ist." — Notissima sunt somnia mythologica Euhemeristarum inter Graecos, inter Germaniae septentrionalis rerum scriptores Saxonis Grammatici, quorum dei atque heroes deposita veste mythica habitum suum permutant, ut jam non fabulas, sed res gestas infiniti regum numeri legere credamus. Artem hermeneuticam sive enarrationem fabularum, quas ab antiquis accepimus, hypotheses paene fama spoliasse, satis cognitum est. Ne nimis procul a veritate aberremus, id inprimis persuasum habeamus necesse est, omnes fabulas ab una origine derivari non posse: et quanquam in omnibus, quas jam collectas in medium proferemus, opinionibus hominum eruditorum de origine et causis cultus baetylorum plus minusve inesse veri, negari non potest, tamen ne una quidem de hoc argumento sententia rem

acu tetigisse videtur.

Inter eos, qui cultum lapidum sanctorum ex sola fetissorum religione tamquam ex primitiva explicare student, maxime des Brosses l. c. hanc suam sententiam urget, quem magna ex parte secuti sunt Zoëga, Muenter, Dalberg, alii; qui quanquam id non absque eruditione praestiterunt, assensum tamen in omnibus vix ac ne vix quidem merentur. Fetissismus, qui dicitur, est cultus numinum rudissimus ac brutissimus, qualem etiamnunc multae vel plurimae Africae interioris aeque ac Americae et Siberiae gentes fovent, quae qualibuscunque rebus modo utilibus modo nocivis, truncis, sagittis, cippis, lapidibus, innumeris ceteris honorem divinum perhibent. „Fetisso" est vox portugallica, quamcumque rem incantatam denotans, cujus etymon a latino verbo: fari, duci solet. Des Brosses, du culte des Dieux fétiches (Berlin) 1763. primus hoc vocabulo usus esse dicitur, quod Winterbottom in account of the native Africans of Sierra Leona tom. 1. pag. 99. a voce portugallica: feticeira, h. e. incantatrix, derivare mavult; in qua etymologia nihil novi inest. Equidem inveni in Thomas Broughtons historischem lexicon aller religionen, Dresden u. Leipzig 1756. prius exemplum notionis fetissismi, qua narratur: „die Neger zählen auch gewisse steine unter die fétiches." — Meiners de falsarum religionum origine et causis, in commentar. Gottingens. tom. 7. pag. 70-73. in numero fetissorum complectitur ignem, flumina, coelum, aërolithos etc. et distinguit inter fetissorum, hominum divorum et astrorum cultum. Boettiger. ideen zur kunstmythologie, Zoëgae opinionem, qua baetylia omnia ad fetissos quosdam obscuros Pelasgicos referenda esse censet, justissimam habet. Jam quis crederet, etsi Graecos Romanosque antiquissimis temporibus morem illum colendi lapides tanquam fetissos ex oriente adoptasse concedatur, eos populos tam illustres in quaque arte scientiaque humana, eum cultum, quo barbari utebantur, postero etiam retinuisse, quum jam philosophi exstiterant, qui de rerum natura, earumque principiis disquisiverunt? Quis crederet, Graecos, quos ante omnes aequales et posteros arte statuaria tantopere excelluisse constat, ut hodie quoque celeberrima exempla nobis praebeant: quis crederet, quaeso, contentos fuisse rudibus illis simulacrorum formis, quae in adytis deorum summis honoribus habebantur, nisi vim quandam naturalem vel supranaturalem secretam inesse putassent, quae venerando digna videretur? Conferant illi, qui ita de baetyliorum cultu ejusque origine judicabant, conferant Graecos ceterosque populos omnes, qui fetissorum cultores praedicantur, cum incultis illis, quas modo commemoravimus nationibus, quae tantopere ab omni cultu atque ab humanitate absunt, quarum stupiditas in proverbii consuetudinem veniret. Certe aliae causae cultus baetylorum quaerendae sunt. Ipsi illi, qui originem litholatriae ex fetissismo ducere tentabant, aliam quoque causam quaesiverunt, qua diversitas modo exposita tolleretur.

Idcirco Muenter l. c. pag. 9. ortum et baetyliorum et cultus eorum ab aërolithis duxit, quos cum sabaeismo, qui astrorum cultus totum per orientem latissime patuit, et sine dubio religio primitiva erat, consociare studet.

Quod idem Scheuchzerus vir doctus Tigurinus, ineunte saeculo 18. florens, conjecit in libro cui nomen dedit auctor kupferbibel, in welcher die physica sacra oder naturwissenschaft der in der heiligen schrift vorkommenden sachen erläutert wird cap. 38. §265. seqq. Boettiger et ipse, qui alias causam et originem litholatriae in fetissorum cultu quaerit, a sabaeismo auxilium petit, cujus patria in Aegypto, in Arabia et Phrygia ponitur. Jam si quaeritur, quo modo affinitas stellarum cum lapidibus, maxime cum baetyliis probari possit: in primis hoc observandum est, cacumina montium, excelsorum lapidum, aptissima fuisse loca et ad conspicienda et ad colenda astra, unde venit, ut innumeros fere montes in toto terrarum orbe sacrosanctos haberent homines superstitiosi. Deinde veteres permultis lapidibus vim quandam divinam insitam attribuisse jam antea exposuimus, quam inprimis in magnete, in succino, aliis reperiri crediderunt. Lapides illos animatos λίθους ἐμψύχους, quos Sanchuniathon in fragmento illo apud Eusebium in praep. evang. asservato memorat, אבנים נפשים qui hebraice dicuntur, a veteribus stellas de coelo delapsas putatos esse, ex eodem Euseb. lib. 1. 10. intelligi licet: Ἀστάρτη εὗρεν ἀεροπετῆ ἀστέρα, ὃν καὶ ἀνελομένη ἐν Τύρῳ τῇ ἁγίᾳ νήσῳ ἀφιέρωσεν. — Astra de coelo delapsa genii fugaces atque commutati esse putabantur, et lapis ardens e nubibus decasus stella exstincta habebatur. Ergo cum lapides relationem quandam cum stellis habere veteres putarent, uti multis exemplis docemur, stellis vero genii sive daemones aut heroes et homines divi praeesse crederentur: ita facillime numina cum symbolis, cum astris et postea cum lapidibus jungi poterant, quos pro simulacris habebat cultus. Pausan. 3. 20: κίονες ἑπτά, κατὰ τρόπον οἶμαι ἄρχαῖον, οὓς ἀστέρων φασὶν ἀγάλματα. — Beausobre, histoire du Manichéisme, tom. 1. pag. 223: Les Orientaux croyaient, que les anges sont des esprits ignés, opinion, qui passa dépuis chez les Chrétiens, et qui, si je ne me trompe, s'était communiquée aux Juifs longtemps auparavant. — Hoc recte animadvertit auctor. Nam apud Judaeos lapis sanctus in proverbium abierat, cf. Jes. 8, 14. Joann. Phil. Casselius in diss. περὶ τῶν λίθων κεκραξομένων comment. ad. Luc. 19. 40. multa ad demonstrandam illam superstitionem, quae lapidibus nonnullis vim supranaturalem tribuerat, contulit. In lapidibus numina habitantia a Graecis credita esse, multae docent fabulae, de permutationibus deorum hominumque in lapides factis, quarum supra compluria attulimus exempla. Muenter praeterea nummos notat, in quibus lapidum imagines atque insuper stellae excusae conspiciuntur. Miramur, viri doctissimi curas et industriam nonnulla subterfugisse, quae ad sublevandam atque augendam illam de baetyliorum origine opinionem haud inepta esse videntur. Plutarchus de placitis philosophorum, cap. 13. Diogenem fere idem de astris sensisse, est testis, qui stellas ardentes lapides pumicosos habuisse dicitur. Anaxagoram, Democritum, Metrodorum, alios, solem massam igneam putasse, notat Plutarchus ibidem. Philosophi in his de astris et lapidibus sententiis antiquam opinionem adoptarunt, quae in saxis ignem elementarem atque principium procreationis jacere contendit, unde venit, ut post

diluvium Deucalioneum homines e lapidibus progenitos esse fabularentur Graeci. — In eo quod Muenter de errore Eckhelii in doctrina nummorum veterum circa pileos dioscurorum notat, mihi quidem ipse errare videtur, eum dicat, formas lapidum stellis exornatorum non satis differre a pileis dioscurorum, ita ut de hoc argumento disquisitio accurata etiamnunc sit in piis desideriis. Quid stellae, quibus lapides in nummis excusi saepius ornati videntur, aliud significant, quam vel affinitatem saxorum cum astris a veteribus creditam, vel ipsum illum honorem divinum, quem Graeci et Romani pariter ac populi orientales iis habuerunt? Stellae insuper lapidibus sunt attributa quaedam numinum, quorum simulacra saxis repraesentabantur. Certe, si concedimus, eam quam Muenter et alii eruditi homines sequuntur rationem originis litholatriae explicandae, in ea singula exempla adhibendam esse, quae diserte a scriptoribus aërolithi declarantur: tamen ad omnes locos, qui de baetylorum cultu nobis traduntur, pertinere, negemus oportet. Quid quod non solum lapides, verum etiam simulacra lignea rudissimarum formarum, trunci, ancilia cetera de coelo cecidisse fabulentur Graeci et Romani: unde facile intelligi potest, id eo solum studio praedicatum fuisse, quo major auctoritas evaderet et sanctitas, qua apud rerum naturalium imperitos homines baetylia habebantur. Hodie etiam in terris orientalibus interdum aërolithos inveniri, multa exempla ab itinerum scriptoribus relata docent: sed cur a Graecis tantus numerus eorum tanquam numina ipsa habita sint, et qua re eorum cultus tam late patuerit, apud eos quoque, qui miraculorum a sacerdotibus traditorum testes non fuerunt, non intelligitur. Satis superque indices lapidationum ex scriptis veterum et hodiernorum afferebantur, quibus omnia explicari posse puto, praeter id solum, ex aërolithorum casu ortam esse totam baetyliorum religionem. De imbre lapidum, qui Mario consule evenit, scribit Plin. hist. nat. 2. 58. Chronicon Syricum Aboulfaradi sive Gregorii Barhebraei lapidationem anno 769. post Chr. nat. factam narrat, de qua vid. Silvestre de Sacy, notes à la déscription de l'Égypte d'Abd-al-atif. Paris 1810. 4. pag. 505. — Stobaei eclog. physic. cap. 15. 1. — Aristotel. de meteoris. — Jos. antiq. 10. 11. — Exod. 28. 24. Ceterum cf. Livium, Plinium, Flavium Josephum, Julium Obsequentem, qui dispersa lapidationum exempla praebent. Hodiernorum, qui aërolithorum partem naturalem premebant, inprimis hi sunt: Szarn, lithologie athmosphérique. Paris 1803. — Dr. Chladni, chronologisches verzeichniss der mit einem feuermeteor niedergefallenen steine und eisenmassen, in Gilberts annalen der physik bd. 15. s. 307. — V. Ende, über massen und steine, die vom mond auf die erde gefallen sind. Braunschweig 1804. — Noch ein beitrag zur geschichte der vom himmel gefallenen aërolithen, in Vogts magazin für den neuesten zustand der naturkunde. März 1804. — Boetticher, was ist von den steinen zu halten, die vom Himmel fallen? Deutsche monatsschrift, August 1796. — Reuss, über den steinregen bei Lissa, im journal der physik, chemie und mineralogie. 8. bd. 2. heft 5. 457. — Multa quoque dispersa inveniuntur in his scriptis: Freret, réflexions sur les prodiges rapportés dans les Anciens.

mém. d. l'acad. d. I. et d. B. L. tom. 6. pag. 706. seqq. — Falconnet, sur la pierre de la mère des Dieux. ibid. tom. 23. pag. 213. — Falconnet, sur les baithyles. ibid. tom. 6. pag. 513. seqq. — Illi qui in aërolithorum imbribus originem baetyliorum et causam litholatriae quaerunt, maxime timorem metumque hominum urgent, quo affecti esse debebant conspicientes saxa magna saepe mole e nubibus delapsa. In qua opinione multum inest veri. Secundum versum Lucretii notissimum: Primus in orbe deos fecit timor. — Hume, origine of religion, — Boulanger, antiquité dévoilée, — Dalberg, meteorcultus der alten, — alii, metum ac timorem causam omnium religionum fuisse contendunt. Zoëga quoque inter antiquissimas errores origines et latissime patentes hoc refert, quod inopinato eventu perculsi rudes homines uni aliive rei divinam et plus quam naturalem virtutem inesse crederent, ad bona procuranda vel ad mala abigenda. l. c. pag. 241.

At forma et figura, nec non color aërolithorum, uti hodie novimus, saepissime plane contraria est ejus, qualem veteres auctores describunt, certe multum differt. Quid nunc? Jam pervenimus ad tertiam de origine litholatriae opinionem discutiendam, quam multo majoris momenti esse in explicandis, de natura baetyliorum fabulis videbimus. Antiquissimis temporibus, quibus ars statuaria in cunabulis quasi fuit, lapides paene deformes, certe rudes atque inculti pro deorum simulacris habebantur. Lapides inprimis, qui symbola virium divinarum esse putabantur, vel tales, quales natura ipsa formaverat, vel paulum modo adjuvante arte humana colebantur. Maxime sublevari videtur haec opinio, quod in nonnullis lapidibus honore divino cultis faciei cujusdam humanae vestigia sane rudia atque irregularia conspiciebantur, qualia exempli gratia lapidi Pessinuntio Cybeli consecrato Prudentius hymn. 10. 155. et lapidi quem Arabes etiamnunc venerantur, Hadschar-al-Assowat dicto, Euthymius Zygabenus in panoplia, ed. a Sylburg. tribuunt. Audiamus testes, qui ad corroborandam hanc sententiam adduci possunt. Barbaros, quia artem sculptoriam ignorarent, lapides pro diis coluisse, dicit Dio Chrysostomus in orat. 12: πολλοὶ τῶν βαρβάρων πενίᾳ τε καὶ ἀπορίᾳ τέχνης ὄρη θεοὺς ἐπονομάζουσι καὶ δένδρα ἄργὰ καὶ ἀσήμους λίθους. — Item Pausanias in Achaicis refert, solenne fuisse antiquitus in Graecia rudibus lapidibus exhibere honores deorum. Böttiger, ideen zur kunstmythologie, bd. 2. herausg. von J. Sillig, s. 135. ἀργοὺς λίθους, quos Pausanias commemorat, contractos esse ex ἀεργοῖς λίθοις, recte notat. Respondent enim illis signa inertia, de quibus vid. Arnob. adv. gent. 1. pag. 13. — Clemens Alexandrinus in stromat. πρὶν γ' οὖν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. — In onomastico Pollucis, ed. Hemsterhuys. lib. 1. pag. 11. haec notio reperitur: κοιλάναι λίθους εἰς θεοὺ μόρφην, excavare lapides in deorum imaginem. In eo, quod Joann. Spencer de legg. Hebraeor. lib. 2. cap. 4. conjicit, gentes naturae quodam instinctu res naturales nullo artificio adulteratas sine signis et figuris numini gratiores existimasse, nihil est quod probari possit: cum populos omnes numini nihil obtulisse praeter perfectis-

sima quaeque et optima, satis constet. Tirocinio artium finito apud omnes gentes statuas et templa deorum quam maxime fieri potuit ornata videmus. Telchines, autochthonos insulae Rhodi primos fuisse, qui simulacra deorum fecissent, laudat Diodor. Sic. bibl. 5. 55. Telchinium sive Thelginium nomen a voce θέλγειν, quae denotat incantare, fascinare, derivatur, de quibus vid. Lobeck Aglaoph. 3. 4. pag. 1181.

Proxima huic opinioni videtur esse ea, quae originem cultus baetyliorum in honore permagno et quasi divino quaerit, qui lapidibus pro monumentis constitutis habebatur. Ut a rebus exorsi rudibus ac simplicibus primaevi homines per gradus ad elegantia et magnifica simulacra deorum pervenerunt: ita quoque antiquissimo memoriae subsidio, rudibus saxis, lapidum mole, ligneisve truncis utebantur, quibus posteritati notitiam rerum gestarum traderent, satis experti, sine externo recordationis praesidio cognitionem rerum memoriae soli concreditam perire. Quo minus hoc fieret, simulque monumenta illa sine arte constituta longum per tempus durarent, sacrosancta ut sua ita aliorum habebant. Innumera fere hujus rei sunt apud veteres scriptores exempla, quorum ea modo afferamus, quae lucis aliquid disquisitioni de hac institutione suscipienda praebeant. Magna ex parte memoriam rerum a Diis vel ab heroibus gestarum posteris tradiderunt illi lapides. In Athenarum Acropoli lapis ostendebatur non magnus, cui Silenus insedisse ferebatur, quando in Atticam venit Bacchus, Pausan. 1. 3. — Apud Megarenses in arce Alcathoi regis alter ostendebatur lapis, in quo Apollo lyram dicebatur deposuisse, opem laturus Alcathoo in arce muro cingenda, unde saxum sonans evasisse fertur, v. Pausan. 1. 42. — In eadem civitate prope prytaneum saxum erat quoddam Anaclethra dictum, ubi Cererem narrabant Proserpinam filiam raptam ab inferis revocasse, Pausan. 1. 43. — Eleusinii monstrabant petram, cui nomen erat Agelastos, ubi post longos errores consederat Ceres maerore afflicta de raptu Proserpinae, Apollodor. bibl. 1. 5. — Eodem studio, in memoriam factorum et rerum gestarum Aegyptii ingentiail la monumenta, pyramides, obeliscos erexerunt; e quo scilicet solo conjici non potest, Aegyptios a cultu lapidum non abhorruisse, cujus indicia obelisci et pyramides non sunt satis luculenta, uti quidam voluerunt, exempli gratia Bidermann in otior. litterar. part. 1. pag. 136. qua de litholatria veterum agitur. — De more antiquo apud Hebraeos erigendi monumenta, Rosenmüller testimonia collegit in libro: altes und neues morgenland bd. 1. 5. 48. artikel 27. ad 1. Mos. 12. 7: „die patriarchen waren sorgfältig darauf bedacht, das andenken an wichtige ereignisse durch altäre, behauene steine und andere dauernde denkmale zu erhalten.“ — cf. Genes. 12. 7.; 13. 18.; 28. 18.; 31. 48.; 26. 33.

Hic commemorandi sunt termini, quibus honorem divinum habitum esse, jam antea vidimus. Dulaure, des cultes qui ont précédé et amené l'idololatrie, pag. 160. originem baetyliorum in terminis quaerit, ac primum quidem baetylum, qui Delphis asservaretur, eo solo studio positum fuisse dicitur, quo fines templi sacrosancti haberentur. Sanchuniathon docet, in

Phoenicia multa baetylia inveniri, ibique sacra haberi, tanquam terminos finibus tuendis positos. Cultum saxorum a baetyliis, i. e. aërolithis, atque a terminis exortum esse, concedit Boettiger l. c. pag. 135. Jam antiquissimis temporibus lapides pro terminis positos esse, intelligitur ex Homer. 2. 20. v. 403. ubi Minerva Martem percussura

λίθον εἵλετο χειρὶ παχείῃ
κείμενον ἐν πεδίῳ μελάνα, τρηχύν τε, μεγάν τε,
τὸν δ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἔμμεναι οὖρον ἀρούρης.

Termini et ipsi ab Herme, sive Mercurio nomen accepisse videntur, cum sermone hebraico, הרם herem, fines denotet, a qua voce graecum nomen Ἕρμης derivatur, cujus simulacra terminorum simillima fuerunt. Quid quod conjecerint quidam, vocem: „mark, merkstein“ affinem esse cum latino Mercurio. Apud Hebraeos quoque תרפים theraphim, in viis publicis ponebantur, Ezech. 21. 26. in Iliade cf. Hom. 2. 303.; 22. 326. ubi in memoriam foederis instituti lapis ponebatur. A lapidibus, quibus populi simulacris servientes ad foedera sancienda utebantur, forsitan mos ortus est, per lapides jurandi, de quo conferatur, quod supra dictum est. Similes lapidum, quales apud Graecos commemorantur, ut Kappotas apud Lacedaemonios in quo Orestes insederat et a vesania liberabatur, vid. Pausan. 3. 22. etiam in sacris litteris notantur, vid. Genes. 28. 18. ubi de lapide agitur, quem Jacobus in memoriam somnii erexit, et cui nomen dedit בית־אל beth-el, i. e. domus dei. Cum Jos. 4. 4. ubi Josua Jordanem transgressus duodecim lapides in medio flumine elatos poni jussit juxta numerum stirpum Israëlitarum, cf. Jos. 24. 25. — Reg. 1. 7. 12. Samuel, fugatis Philistaeis, in memoriam victoriae lapidem posuit. — Huc pertinet statua quam dicunt Irmensulam, quam in memoriam victoriae cujusdam positam esse, dubitari non potest. Joduta quoque similis statua in pago Mansfeldico Thuringiae fuisse videtur, fide non habita fabulis chronistarum, qui eam in recordationem victoriae imperatoris Henrici 5. positam esse dicunt. Venerem in magno lapide Brachthan dicto posteris etiam temporibus coluisse Muhamedanos, quod crederent, super eum patriarcham Abrahamum cum pellice Hagar coiisse, aut camelum ei alligasse, cum Isaacum filium erat sacrificaturus, scribit Euthymius Zygabenus in panoplia. Sacri autem habiti sunt istiusmodi lapides eo, quod omnium interesset, ne frangerentur, neve loco moverentur. Alia exempla praetermitto. A prisca consuetudine, monumenta affusis unguentis, sertisque et vittis impositis ac solemni sacrificio facto consecrare, repetendi videntur illi lapides qui dicuntur uncti, λίθοι ἀληλιμμένοι, sive אבנים נשפים abanim neschephim, uti Bochartus in libro qui inscribitur Phaleg et Canaan, corrigere voluit, pro אבנים נפשים abanim neschephim, h. e. lapides animati. Cum his conferri possunt uncti lapides apud Minutium Felicem, et pingues lapides sive λίθοι λιπαροί apud Clementem Alexandrinum, nec non apud Apulejum in apologia. Simulacrorum seu idolorum apud Hebraeos ante

Genes. 31. ubi de τοῖς תרפים theraphim Labanis agitur, mentio fieri non videtur. Illa idola, theraphim dicta, baetylia in modum lapidis Pessinuntii formata, humanae faciei vestigiis exornata fuisse, verisimile habeo. תרפים theraphim, a nonnullis certe linguae hebraicae non satis peritis, eadem habebantur cum שׂרפים seraphim, et cum Serapide Aegyptiorum. Sed quid inter utramque vocem apud veteres intercesserit discriminis, satis cognitum est. Habet earum suam quaeque vox radicem, ut theraphim a verbo תרף tharaph h. e. percontari, oraculum petere, seraphim vero aut a voce hebraica שׂרף urere, aut a Sanscritica: sarpa i. e. anguis, derivetur. Eos, qui utrumque miscuerunt, fefellit soni similitudo, ratione non habita radicum. Simulacra primo non in hos usus posita, neque columnae, stelae aut cippi in deorum honorem fixa sunt, sed ad memoriam et gloriae mortuorum cumulum statuebantur. De lapidum cumulis pro sepulcris vel monumentis in honorem atque memoriam defunctorum constructis apud gentes stirpis Germanicae vid. Conring de antiquitatt. stat. Helmstad. et Worm in monumentis Danicis, lib. 1. cap. 4. Quae in Holsatia reperiuntur, describit Trogillus Arnkielius in libro, qui inscribitur: Cymbrisches heydenthum, s. 223. De gigantum sepulchris ingente mole lapidum constructis, quae germanice dicuntur „hünenbedde“ vid. Joann. Pickardt, korte beschryvinge van eenige verborgene antiquiteten, p. 23.

Postea non ita intererat hominibus, primordii monumentorum oblitis, an symbolum, an numinis ipsius, an symboli figuram adorarent, praecipue longo temporis spatio intermisso a conditis illis monumentis. Tantum abest, ut hanc superstitionem miram atque inauditam habeamus, ut naturalibus causis exortam esse putemus, praesertim cum etiamnunc multa hujus rei similia videamus. Recordemur modo superstitionis nostratum, qui monumentis in coemeterio positis vim sanandi morbos tribuunt. Vetustissimum etiam Graecorum morem fuisse, saxa sive quadrata sive rudia ac prorsus inculta, saltem aliam quam saxi speciem prae se non ferentia pro simulacris atque idolis ponere, neque aliter quam numinum simulacris et statuis divinum honorem prohibere, docet Pausanias in Achaicis l. c. ubi de Mercurio Pharensi ejusque tumulis e lapidibus constructis disserit. — Zoëga dicit, innumeras esse quae occurrant hujus generis superstitiones, quae magna ex parte ortae videantur e monumentis, licet nequaquam affirmari possit, omnes ab hoc fonte effluxisse. Addit auctor, quin forte a monumentorum instituto natam esse omnem illam fabulam de saxo a Saturno pro Jove devorato; quod concinnum est cum nostra opinione in exordio demonstrata, fabulam postea fictam esse a sacerdotibus vel mythographis, qui aliter nomen baetylorum explicare nescirent. Illud Zoëgae dictum viam nobis demonstrat, in qua pergendum sit. Non ex una sola causa explicanda est origo litholatriae, quantumvis lucis afferant eae, quas jam laudavimus, opiniones, sed ad multa alia quoque respiciendum esse existimamus, cum, quodcumque antea dictum est, non in omnia cadat.

Eodem jure, quo nonnulli homines eruditi ex figura lapidum a veteribus

cultorum, qualem nobis scriptores adumbraverunt, cognationem eorum cum aërolithis conjecerunt, uti Falconnet, alii, levitate quadam judicandi et praeconcepta opinione fecerunt: nos quidem longe aliud demonstrare et argumentis substruere posse videmur, quod a paucis commemoratur, nedum urgeatur. Ratione enim habita similitudinis plurium baetylorum, ac paene plurimorum, cum phalli notissima figura, persuasum habemus, baetylia magna ex parte nonnisi pro symbolis procreationis serviisse, ac propriam significationem phallorum in mysteriis explicatam, occultam vero fuisse plebi, cui longe alium sensum fabulis exornatum persuaserint sacerdotes. Accedit, quod attributa eorum numinum, quorum pro simulacris lapides sancti habebantur, consentiunt, deorum scilicet, qui vel agriculturae vel procreationi praeerant, quorum inprimis notandi sunt Bacchus, Amor, Cybele, Ceres, Venus etc. Cultum vero phalli affinem esse astrolatriae sive sabaeismo, docemur locis veterum scriptorum, qui in hanc rem legi possunt, quorum magnam partem jam attulimus. Vis supranaturalis vel divina, quam veteres lapidibus attribuisse exposuimus, maxime fuit ignis elementaris, atque una cum eo vis procreationis, unde explicatur, quomodo achati potestas augendi amorem conjugalem tribui potuerit. Egregie Zoëga l. c. pag. 213. affinitatem phalli cum cippis, truncis et lapidibus conoidicis illis demonstravit. Boettiger, ideen zur kunstmythologie, bd. 1. s. 54: „zwei hauptgegenstände in den religionen des alterthums sind der phallus und die schlange. Die letztere gehört ganz eigenthümlich dem fetischismus, der erstere dem symbolisirten sterndienst.“ — Contra Falconnet, qui baetylia fere omnia echinitas habere voluit, Zoëga recte animadvertit, echinitas nunquam habere formam vere sphaericam, neque ejus molis visos esse, ut magni lapides dici possent. In echinitas non cadit descriptio baetylorum. At nisi echinitae fuerant illa baetylia, quid impedit, quominus affirmante descriptione ab auctoribus facta hysterolithos appellemus? De priapolithis et hysterolithis, quos hodie quidem germaniee dicere solemus: „venusmuschel“ vid. Plin. hist. nat. lib. 37. cap. 10. 57. qui eos diphyes appellat, adjungens, ita constructos esse eos lapides, ut concubitu venereo apti viderentur, nisi lapides essent. cf. Knight, account of some remains of the worship of Priapus, pl. 15. pag. 85. — Hinc ex concha nata esse dicitur Venus, Plaut. Rud. 3. 3, 43. vid. Lichtensteinii specimen palaeograph. pag. 131. — Quantum apud Graecos nec minus apud Romanos, inprimis vero apud gentes orientales phalli cultus floruerit, neminem fugiet. Ante templum Veneris Hieropolitanum duo phalli, ingenti mole, 190 pedes alti collocati erant, quos Bacchus in honorem deae posuisse dicebatur. Sine dubio cultus Bacchi a phallo sive lingamo ortum suum duxit, cf. Herodot. 2. 49. — „Joni“ sive „lingam“ nomen est phalli apud Indos, apud quos etiamnunc luculentissima ejus cultus vestigia reperiuntur. In India sunt monumenta immensae altitudinis, consecrata Shivae, quae propter similitudinem quam cum phallo erecto habent, qui in cultu ejus dei magna est vi, pro phallis habentur et adorantur. In Dapper’s Asia pag. 111. simulacrum Mahadewae, procreationis dei, secundum descriptionem, quam

della Valle dedit, adumbratur, quod prorsus simile est phalli; cf. account of the kingdom of Nepal, in the second part of the Asiatic researches 8. edit. pag. 307. Nepali prope Benarem lapidem esse nigrum, quem homines simulacrum Mahadevae, dei amoris et procreationis, habeant, refert Friedr. v. Dalberg, meteorcultus etc. s. 68. — In sacello Casmiriensi, in pagoda Perwuttum sive Puravattam lapidem conoidem Mali-kardi dictum pro phallo, symbolo ejusdem Mahadevae ab Hindostanis coli, notant itineraria, quorum cf. Mackenzie's reise nach Indien, 5. s. 20. — In museis atque antiquariis multae asservantur gemmae Persicae, quas magna ex parte homines eruditi baetylia esse arbitrati sunt. Quod fieri posse concedimus, sane in eo sensu, quo supra definita sunt, tanquam amuleta. Similitudo antiquitatum illarum cum fascinis est tanta, ut verisimile fiat, lapillos eos conicos, qui proprio nomine anticagli dicuntur, nihil esse quam fascina, quae in cultu Bacchi aliorumque nominum, inprimis vero in mysteriis et Graecis et Romanis maxime floruerunt. Accedit, quod plurimorum baetyliorum formam conicam premunt scriptores, quae simillima erat figurae phalli. Quid quod in voce ipsa affinitas coni cum procreatione exprimatur. κῶνος, conus, symbolum membri genitalis, respondens voci γοῦνος, cunnus, cognationem habet cum cuneo, γύνη, „können" et „kennen" pariter ac hebraicum verbum ידה jadah, cognoscere, in sensu communi et obscoeno, uti γίγνομαι et γιγνώσκω eandem habent radicem; conus denotat quoque idem quod in graeco sermone φάλος, arcum scilicet aereum in casside elatum. De etymologia phalli v. infra. Kanne, erste urkunde der geschichte, s. 481. §74. persuasum habet, lingam, sive phalli cultum Indicum conjunctissimum esse cum litholatria, quod maxime etymologices exemplis allatis demonstrare studet. Praetermittamus conjecturas illas, quae quamquam sagacissimi ingenii testimonia, saepius tamen ab omni fundamento ut historico ita critico nimis absunt; hypotheses, quas supra perstrinximus, licentia magis excellentes quam scientiae utiles et fructuosas. Baetylia apud omnes fere populos, quorum contulimus exempla, iis inprimis numinibus consecrata fuerunt atque pro eorum simulacris habita sunt, quae vel agriculturae, vel procreationi et amori praeesse credebantur: unde venit, ut Cybeli matri Deorum lapidem Pessinuntium, Veneri baetylum conoidem Paphicum, Dusari-Baccho vel Veneri Uraniae lapidem, quem dicunt Arabes Hadjar-al-Assowat, apud Indos Mahadevae saxum nigrum addictum fuisse videamus. Quin etiam Apollini lapides consecrati erant, quia in sole symbolum virium masculinarum procreationis venerantur populi orientales, Lunam vero partem receptivam habent. E quibus conjectura de nexu lapidum cum phallo clarior evadit. Quod qui mirum putant, veteres in re inanimata ac paene mortua, qualis est lapis, vim procreandi coluisse, respiciant modo philosophorum opiniones de affinitate saxorum cum stellis atque daemonibus earum geniis. Vis quaedam secreta, veteribus non explicita in magnete, succino, ceterisque lapidibus manifesta fieri credebatur. — Hic baetyliorum cum phallo nexus, qui negari non poterat, multis eruditis tam mirus atque inauditus esse videbatur, ut

hanc aliamve causam originis quaererent. Inter quos Kanne l. c. cognationem quae est inter lapidum et phallorum cultum, a nonnullis exemplis etymologicis optime electis derivare studet, quae ut judicare possimus, recordemur oportet ejus, quod supra de jurisjurandi Romanorum formula antiquissima: — per Jovem lapidem! — dictum est. Testis denotat „zeuge," testa „hode," quae vocabula unum idemque etymon habere, verisimilius etiam fit exemplis ceteris. In sermone germanico „zeugen" ponitur pro „erzeugen" et „bezeugen." Graecum vocabulum τέκμαρ cognatum est cum radice τέκειν, unde τίκτειν. Deinde apud Graecos vox θρῖον significat et testiculam et lapidem. „hode" derivandum esse a voce hebraica: עוד ud, h. e. testari, עד ed, i. e. testis, censet Kanne, qui his et multis aliis adjectis argumentis, quae in extenso proferre non potuimus, conjicit, lapidem sacrum, qui pro testi jurisjurandi et foederis sanciendi sumebatur, lingam lapidem vel phalli symbolum, procreandi vi praeditum, fuisse. — Longe alio modo Zoëga l. c. pag. 213. originem affinitatis baetyliorum cum phalli cultu demonstrat, qui et ipse ab arte etymologica argumenta sua petens, radicem vocis φάλλος cum figuris baetyliorum, cipporum, terminorum, columnarum comparat. In lingua hebraica עלה alah, significat elationem, ascensum, quemvis motum sursus directum; in coptica ϫⲗⲏϩ ascendere, unde vocabula φάλης, φάλος, φάλλος, palus, „pfahl" et voces graecae nonnullae exortae sunt, quales sunt ἅλλειν, ἅλλεσθαι, saltu sese efferre, φάλος conus vel apex, φάλαγξ lignum teres oblongum; Pales dea Etruscorum, quae ruri colendo praeerat; fala, turris. Zoëga d. us. et or. obel. pag. 213: Phales aut Phallus, cujus radix etiamnunc in Aegyptia lingua ac in Hebraica superest, quamcumque rem in altum porrectam significat, nec aliud fuit apud priscos Graecos deus ille, quam procerus stipes sive cippus oblongus ad agrum tuendum aut forum designandum statutus. — Adjungit Zoëga, Aegyptios literas Π, T, N tanquam pronunciationis adminicula quibuscunque vocabulis praefigere consuevisse singulas, quae postea a grammaticis ita fuerint ordinatae, ut Π masculinum, T femininum genus, N pluralem numerum significaret. Quod verum ac justum esse, vix dubitabitur: sed cur originem litterae φ in voce graeca φάλλος in lingua Aegyptia quaesiverit Zoëga, non intelligo, quoniam satis in sermone Graeco locus detur explicationi. Equidem reperio caussam, cur praefixa sit litera φ, in digammate quod dicitur Aeolico *F* cujus exempla conferre, supervacaneum esse videtur. Etiam vox Hebraica עלה alah, haud dubie cognata cum Graeca ἅλλειν, eum syllabae declarat sonum ע, quem nos quidem pronunciare non solemus, qui tamen graece per digamma Aeolicum reddi potest. — Ex hac baetyliorum cum phallo affinitate explicari mihi posse videtur origo ac nomen famosissimi illius templariorum idoli, quod dicunt „baphomet." Jam antea vidimus, lapidum sanctorum cultum latissime patuisse inprimis in terris Orientalibus, et Christianos quoque non solum primis saeculis ineuntis aerae, verum etiam temporibus medii aevi plus minusve in eo versatos esse. Conferendum est id quod supra dictum est de capitibus conciliorum Agathensis et Nannetensis. Nomen illud baphometi,

de quo sexcentas diversissimas fovebant opiniones homines eruditi, originem duxisse a dialecto quadam orientali, plurimi persuasum habent, quorum inprimis Hammer vocem illam derivare studet a baphi meta h. e. baptismus igneus. Nicolai originem quaerit in vocibus βαφή et μῆτις, baptismus et ratio, orientali sane modo conjunctis, vel genitivo μήτιδος mutato in μήτους. Sunt etiam, qui similitudine quadam soni perducti Baphometum corruptum esse Mahometum, abstruse sane arbitrentur. C. G. Lenz in libro, quem supra laudavimus, verisimilem facere adnititur etymologiam a Paphi meta ductam, h. e. conus Paphicus. Baphometum simulacrum quoddam fuisse ad instar Hermis, forma lapidis conici, cujus cultum templarii equites in bellis pro sacris Christianis susceptis, superstitione amuletorum in terris Orientalibus infecti, assumpsissent, omnes consentiunt rerum scriptores et contemporanei et hodierni. Ex more templariorum, quo neophytae Baphometum adorabant atque equitum superiorum umbilicum osculabantur, facile nexus quidam ejus idololatriae, quae pudenda sacrosancta habebat, et aedoeolatriae cum cultu lapidis Veneris Paphicae, qualem nobis describunt veteres, intelligitur. Idolum Baphometi repraesentasse figuram admodum humanam barbatam, qui urgent, nostram de hac Baphometi origine non confundunt opinionem, cum in Asia maxime Deum quoque Venerem cultum fuisse satis constet. Ceterum templarios equites et Veneri masculae, quae dicitur, deditus fuisse, neminem fugit. Antiquissimum deae Veneris simulacrum conus erat lapideus, modo in umbilici modo in metae formam constructus, inter duas magnas trabes positus in medio, quibus pariter ac in templis Phoeniciis sol et luna indicarentur. Unde venit, ut in templo Hierosolymitano duae columnae collocatae nomen acciperent: יכין jachin et בּועז boas, h. e. conus a verbo כון kun, i. e. ponere, et בּו־עז boas, i. e. in eo vis. Sol et Luna apud omnes populos, ut in mythologia Germaniae septentrionalis, ita in doctrinis philosophorum Graecorum, nec non in fabulis Orientalium symbola habebantur virium procreationis et productivae et receptivae. Secundum Creuzerum, qui dubitat an hoc Veneris baetylium aërolithus fuerit, uti Boettiger contendit, phallus erat summum naturae symbolum.

Creuzer, mythol. und symbolik 2. s. 495: „Es kann nicht der geringste zweifel stattfinden, dass im adyton zu Paphos die göttin als eine wirkliche spitzsäule stand, und zwar nicht aus unbehilflichkeit uralter bildnerei so vorgestellt war, sondern absichtlich als sprechendes symbol der zeugenden naturkraft.“ — Inde umbilicus, qui in nummis et gemmis conspicitur, explicari potest. Parva simulacra phalli pro amuletis et talismanibus ferri solita erant a sacerdotibus Cybeles Pessinuntiae et ab aliis, unde factum est, ut propter similitudinem eorum cum baetylis magnis, et ipsa baetylia haberentur. Vestigia prisca cultus phalli quaerenda sunt in mysteriis, in quibus inprimis ea numina, quae agriculturae et procreationi praeerant, colebantur. Similem fovebant cultum Hindostani, qui quodcunque amoris et procreationis symbolum, non modo lapides phalloidicos, verum etiam

arbores mirabili quadam forma praeditas adorabant, uti exempli gratia Kaldeir arborem quamdam, cujus radices formam phalli simillimam, symboli dei Shivae, praebent, quapropter a Francogallis appellari solet: „l'arbre indécent." Ex Mani, quod denotat puerum, phallum et ficum, juxta cosmogeniam Indicam Bhavani et Shiva-lingam oriebantur. Cabirium mysteria connecti cum hoc phalli cultu, non dubium est. Secundum schol. ad Apollon. 1. 915. cod. Paris, Kabirium fuisse tres, dicit Mnaseas: Axiokerson, Axiokersam et Axieron, sive Plutonem, Proserpinam, Cererem. Nonnulli adjungunt Casmilon, qui teste Dionysodoro, Mercurius erat. Ceterum cf. K. O. Mueller, Orchomenos, s. 449: „Wenn irgend eine einzelne ableitung des kabirensystems die richtige ist, so ist es die Indische, und die analogie von Para-brama, Bhavani, Lingam, Brama, Wishnu, Shiva mit Hephaestos, Kabeiros, Kadmilos, Axieros, Axiokersa und Axiokersos kann sehr weit verfolgt werden. Auch ist Shiva-lingam dem Axiokersos-Kadmilos gleich." — Qualem vim procreandi in lapidibus insitam veteres crediderint, ex fabulis quibusdam intelligi licet. Agdus ingens rupes Phrygiae, Jovis semine gravida facta Agdestin heroem hermaphroditum progenuisse dicitur. Simili modo Mithras misogynus rupem gravidam fecit, a qua juvenis Diorphus natus est. Haud ineptum esse videtur, versum illum Horatianum, qui in proverbii abiit usum, cum his fabulis conferre:

Parturiunt montes, — nascetur ridiculus mus! Ad recentiora tempora ut veniamus, recordari subit ultimorum vestigiorum, cultum Priapi et phalli indicantium, quae reperire videmur in eo, quod Etienne, apologie pour Hérodote, tom. 2. pag. 253. notat, sanctos quosdam, quorum cultus in Francogallia floreat, St. Gilas et St. René qui dicantur, sterilitatem muliebrem solvere posse credi, atque idcirco phallos parvulos a sacerdotibus consecratos sanctisque deditos mulieribus opem poscentibus vendi, quae insignia illa in collo tamquam amuleta ferre dicuntur. Similis est hujus cultus superstitio quaedam, quae Iserniae in regno Neapolitano floret et S. S. Cosmo et Damiano vim solvendae sterilitatis muliebris tribuit. — Nihil novi sub sole! Idem, quod hodie sacerdotes de vi magica amuletorum et talismanium fabulantur, jam multis saeculis antea plebs superstitiosa et miraculorum cupida tanquam oraculum a coelo ipso in terram missum crediderat. Renovata esse videntur mysteria, in quibus phallus pro symbolo procreationis colebatur.

Iis, quas jam contulimus, caussis litholatriae, addi posse videtur jam ultima, quam quidem in fraude sacerdotum quaerimus, qui in oraculis edendis et in miraculis faciendis baetyliorum viribus in sua commoda utebantur. Artes illas malas, quas ministri deorum exercebant secuti proverbium illud notissimum: „mundus vult decipi, ergo decipiatur!" jam veteribus notas fuisse, indicant nonnulli apud rerum scriptores loci, quorum haud parvam partem jam in extenso citavimus. Sanchuniathon, ubi distinguit inter baetylia majora et minora, haec talia notat, quorum adjutorio praestigiatores se et futura praescire et miras res efficere posse gloriarentur. Artem vero praestigiatoriam sacerdotes soli sibi vindicarunt. Egregium porro exemplum

praebet Helenus vates, quem Orphei λιθικά commemorant, qui lapidem Apollini sacratum possidere dicebatur; nec minus Eusebius ille medicus, cujus Damascius in vita Isidori philosophi apud Photium l. c. mentionem facit. Hunc Eusebii lapidem sanctum signis et lineis magicis pictum fuisse, qualia etiamnunc in museis asservantur amuleta, diserte notat auctor in Photii bibliotheca, pag. 1062. Neque est quod miremur, veteres his fallaciis decipi potuisse, cum nostra quoque tempora similia praebeant exempla. Quis primum lapidem tollere potest? — Romanos inprimis omnium tali superstitione captos esse, scimus ex innumeris scriptorum locis. Cum barbarorum cultu numinum et omnes stultitius ineptiasque superstitiosas cetero populorum adoptarunt; cf. Creuzer, symbolik und mythologie, bd. 3. s. 50: „Baetylien, pygmäenidole, geweihete binden, amulete wurden in den händen der adepten und gaukler, später besonders unter den für solche dinge so empfänglichen Römern zu wirksamen dingen.“

Jam paucis repetendae esse videntur opiniones ut antiquorum ita hodiernorum scriptorum de origine et caussis litholatriae, quibus, quid insit falsi aut veri, exposuimus. Certe ex multis diversissimis, quae sub examen vocavimus, argumentis, eam habemus persuasionem, uti omnes fabulas, ita etiam mythum baetyliorum, ejusque originem non ex una sola caussa explicari posse, eosque homines eruditos plus minusve errasse, qui hanc viam ingrederentur. Contra in origine litholatriae in qua veteres et Christiani quoque medii aevi versati fuerunt, demonstranda, varias rationes interpretandi adhibendas esse inter omnes constat, atque ex eo jam intelligitur, quod ii qui unam solam explicandi rationem secuti sunt, ne ipsi quidem ea contenti fuerunt: quod aliter fieri non potuit, cum videremus, fetissismum cum sabaeismo et primitivo et cum degenerato maxime cognatum, quin conjunctissimum fuisse: cf. Hartmann, gemälde von Arabien und aufklärungen über Asien, bd. 2. s. 874: „der reine gestirndienst der ursprünglich in Arabien zu hause war, artete in bilderdienst und baetyliencultus aus.“ — Eorum, qui partem naturalem fabulae et cultus baetyliorum solam premebant, atque in ea caussas originis litholatriae quaerebant, nomina sola afferre satis habuimus, cum ab eo, quod hic nobis tractandum erat, nimis abesset res, de qua illi disseruerunt. Eorum contra, qui partem antiquariam urgebant, fere omnes, quantum in nobis erat, contulimus, collatosque judicavimus. Idcirco in fetissorum atque astrorum cultu, in monumentorum institutione, inprimis artis statuariae initiis, in aërolithorum lapidationibus, in cultu deorum qui procreationi praeerant, praesertim in phalli cultu, denique in circulatoriis sacerdotum praestigiis caussas quaesivimus, quae litholatriam excitarent atque augerent, ad quam explicandam ac demonstrandam nihil veteres, recentiores scriptores antiquitatis studii periti omnia contulerunt.

Vita

Natus sum ego Franciscus Ludovicus Boesigk Dresdae a. d. 13. cal. Jul. h. s. a. 30. patre Joanne Aenotheo, matre Carolina Friderica e gente Ehrhardt, quo utroque parente adhuc superstite laetor. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum rudimentis imbutus vere a. 1844. in quartum ordinem gymnasii S. Crucis, quod rectore Groebel, postea quidem Klee, viris spectatissimis, Dresdae floret, receptus, inde ab anno aetatis undevicesimo maturitatis testimonio instructus autumno a. 1849. in universitatem Lipsiensem me contuli, cujus civibus Buelavio Rectore Magnifico adscriptus sum, ubi primum studiis theologicis, postea philologicis me dedens per tria semestria lectiones audivi horum doctorum illustrissimorum: Anger, Brockhaus, Drobisch, Fechner, Fricke, Hartenstein, Niedner, Roscher, Westermann, Winer. Vere a. 1851. in hanc almam universitatem Friderico-Guilielmam transivi, cujus civibus Twesten Rectore Magnifico adscriptus nomen dedi apud Dove Decanum. Scholis interfui doctissimorum virorum: Benecke, Boeckh, Bopp, Grimm, v. d. Hagen, Hertz, Massmann, Ranke, Trendelenburg. Quibus omnibus meis praeceptoribus optime de me meritis, quantam debeam gratiam, pio animo semper reminiscar.